

Squalor oris Suciedad-
Pernicies es destruccion-

NG- grandem.te

uspiam enqualquier parte
utut- quocumque modo —
ductim - poco á poco —

Cicero, Marcus Tullius

M. TULLII CICERONIS OPERA,

CUM DELECTU COMMENTARIORUM,

IN USUM

SERENISSIMI DELPHINI.

TOMUS OCTAVUS,

In quo EPISTOLÆ ad Atticum.

EDITIO SECUNDA EMENDATISSIMA.

GENEVÆ,

Apud Hær. CRAMER & Fr. PHILIBERT.

M. DCC. XLVI.

M. TULLII
CICERONIS
OPERA,

CUM DELECTU COMMENTARIORUM,

IN USUM

SERENISSIMI DELPHINI.

TOMUS OCTAVUS,

In quo EPISTOLÆ ad Atticum.

EDITIO SECUNDA EMENDATISSIMA.

GENEVÆ,

Apud Hær. Cramer & Fr. Philibert.

M.DCC.XLVI.

VITA
TITI POMPONII ATTICI,
Per CORNELIUM NEPOTEM.



Omponius Atticus, [1] ab origine ultima ſtirpis Romanæ generatus, perpetuò à majoribus acceptam equeſtrem obtinuit dignitatem. Patre uſus eſt diligente, indulgente, &, ut tum erant tempora, diti, imprimíſque ſtudioſo literarum. Hic, prout ipſe amabat literas, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, filium erudivit. Erat autem in puero, præter docilitatem ingenii, ſumma ſuavitas oris, ac vocis; ut non ſolùm celeriter arriperet, quæ tradebantur, ſed etiam excellenter pronuntiaret: qua ex re in pueritia nobilis inter æquales ferebatur, clariúſque explendeſcebat, quàm generoſi condiſcipuli animo æquo ferre poſſent. Itaque incitabat omnes ſtudio ſuo: quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marius C. filius, M. Cicero: quos conſuetudine ſua ſic ſibi devinxit, ut nemo iis perpetuò fuerit carior.

II. Pater maturè deceſſit. Ipſe adoleſcentulus propter affinitatem P. Sulpicii, qui Tribunus pl. interfectus eſt, non expers fuit illius periculi. Námque Anicia, Pomponii conſobrina, nupſerat M. Servio fratri Sulpicii. Itaque, interfecto Sulpicio, poſteaquam

1. *Ab origine ultima ſtirpis Romanæ generatus*] Certant in eluendo hoc loco Docti: quorum princeps Manutius corrigebat *è ſtirpe Romana generatus*. Lambinus verò *ab generatus* expungendum, reponendúmque cenſet *generoſus*. Boſius diviſim legit, *genere natus*. Barthius, Adverſ. XLII. 29. *ab origine ultima ſtirpis R. generatus*, illúdque *R.* putat ſignificare *Regia*. Rutgerſius Var. Lect. XI. 8, mallet, *ab origine ultima ſtirpis Romæ generatus*, vel *Romano genere natus*. GRÆVIUS.

ſteaquam vidit Cinnano tumultu civitatem eſſe perturbatam; neque ſibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet, diſſociatis animis civium, cùm alii Syllanis, alii Cinnanis faverent partibus, idoneum tempus ratus ſtudiis obſequendi ſuis, Athenas ſe contulit: neque eo ſeciùs adoleſcentem Marium, hoſtem judicatum, juvit opibus ſuis: cujus fugam pecuniâ ſublevavit. At ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum trajecit ſuarum. Hìc ita vixit, ut univerſis Athenienſibus meritò eſſet cariſſimus. Nam præter gratiam, quæ jam adoleſcentulo magna erat, ſæpe ſuis opibus inopiam eorum publicam levavit. Cùm enim verſuram facere publicè neceſſe eſſet; neque ejus conditionem æquam haberent; ſemper ſe interpoſuit, atque ita, ut neque uſuram unquam ab iis acceperit, neque longiùs, quàm dictum eſſet, eos debere paſſus ſit. Quod utrumque erat iis ſalutare. Nam neque indulgendo inveteraſcere eorum æs alienum patiebatur, neque multiplicandis uſuris creſcere. Auxit hoc officium alia quoque liberalitate. Nam univerſos frumento donavit; ita ut ſingulis ſeptem modii tritici darentur, qui modus menſuræ medimnus Athenis appellatur.

III. Hìc autem ſic ſe gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur; quo factum eſt, ut huic omnes honores, quos poſſent, publicè haberent, civémque facere ſtuderent. Quo beneficio ille uti noluit: quod nonnulli ita interpretantur, [1] amitti civitatem Romanam aliâ adſcitâ. Quamdiu affuit, ne qua ſibi ſtatua poneretur, reſtitit; abſens prohibere non potuit. Itaque aliquot ipſi, & [2] Phidiæ, locis ſanctiſſimis poſuerunt. Hunc enim in omni procuratione Reip. actorem auctorémque habebant. Igitur primum illud munus fortunæ, quòd in ea potiſſimum urbe natus eſt, in qua domicilium orbis terrarum eſſet imperii, ut eandem & patriam haberet, & domum. Hoc ſpecimen prudentiæ, quòd cùm in eam ſe civitatem contuliſſet, quæ antiquitate, humanitate, doctrinâ, præſtaret omnes, ei unus ante alios fuerit cariſſimus.

IV.

1. *Amiti civitatem Romanam aliâ adſcitâ*] Vide Orat. pro Cæcina, & pro Corn. Balbo.

2. *Phidiæ*] Adi de hujus loci lectione diſputantem Lipſium, Elect. I. 14. *Rutgerſium*, Var. Lect. V. 1. *Scioppium*, Verſimil. III. 8. *Barthium*, Adverſ. XXIX. 12. ANONYMUS.

IV. Huc ex Asia Sylla decedens cùm veniſſet; quamdiu ibi fuit, ſecum habuit Pomponium, captus adoleſcentis humanitate & doctrinâ. Sic enim Græcè loquebatur, ut Athenis natus videretur. Tanta autem erat ſuavitas ſermonis Latini, ut appareret in eo nativum quendam leporem eſſe, non adſcitum. Idem poemata pronuntiabat & Græcè, & Latinè ſic, ut ſuprà nihil poſſet. Quibus rebus factum eſt, ut Sylla nuſquam eum à ſe dimitteret, cuperétque ſecum deducere. Cui cùm perſuadere tentaret; *Noli, oro te*, inquit Pomponius, *adverſum eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui.* At Sylla, adoleſcentis officio collaudato, omnia munera ei, quæ Athenis acceperat, proficiſcens juſſit deferri. Hîc complures annos moratus, cùm & rei familiari tantum operæ daret, quantum non indiligens deberet paterfamilias, & omnia reliqua tempora aut literis, aut Athenienſium reipublicæ tribueret, nihilo minùs amicis urbana officia præſtitit. Nam & ad comitia eorum ventitavit; & ſi qua res major acta eſt, non defuit: ſicut Ciceroni in omnibus ejus periculis ſingularem fidem *præbuit*: cui ex patria fugienti, H-S. ducenta & quinquaginta millia donavit. Tranquillatis autem rebus Romanis, remigravit Romam, ut opinor, L. Cotta, & L. Torquato Conſulibus: quem diem ſic univerſa civitas Athenienſium proſecuta eſt, ut lachrymis deſiderii futuri dolorem indicaret.

V. Habebat avunculum Q. Cæcilium, equitem Romanum, familiarem L. Luculli, divitem, difficillimâ naturâ: cujus ſic aſperitatem veritus eſt, ut, quem nemo ferre poſſet, hujus ſine offenſione ad ſummam ſenectutem retinuerit benevolentiam; quo facto tulit pietatis fructum. Cæcilius enim moriens teſtamento adoptavit eum, heredémque fecit ex dodrante, ex qua hereditate accepit circiter centies H-S. Erat nupta ſoror Attici Q. Tullio Ciceroni, eáſque nuptias M. Cicero conciliarat; cum quo à condiſcipulatu vivebat conjunctiſſimè, multo etiam familiariùs, quàm cum Quinto: ut judicari poſſit plus in amicitia valere ſimilitudinem morum, quàm affinitatem. Utebatur autem intimè Q. Hortenſio, qui iis temporibus principatum eloquentiæ tenebat, ut intelligi non poſſet, uter eum plus diligeret, Cicero, an Hortenſius: & id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut inter quos tantæ laudis eſſet æmulatio, nulla intercederet

cederet obtrectatio, essétque talium virorum copula.

VI. In republica ita est versatus, ut semper optimarum partium & esset, & existimaretur; neque tamen se civilibus fluctibus committeret; quòd non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se iis dedissent, qnàm qui maritimis jactarentur. Honores non petiit, cùm ei paterent propter vel gratiam, vel dignitatem: quòd neque peti more majorum, neque capi possent, conservatis legibus, in tam effusis ambitûs largitionibus, neque geri è republica sine periculo, corruptis civitatis moribus. Ad hastam publicam nunquam accessit. Nullius rei neque præs, neque manceps factus est. Neminem suo nomine, neque subscribens accusavit. In jus de sua re nunquam iit; judicium nullum habuit. Multorum Consulum, Prætorúmque præfecturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus, honore fuerit contentus; rei familiaris despexerit fructum, qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Asiam, cùm apud eum legati locum obtinere posset. Non enim decere se arbitrabatur, cùm præturam gerere noluisset, assecla esse prætoris. Qua in re non solùm dignitati serviebat, sed etiam tranquillitati, cùm suspiciones quoque vitaret criminum: quo fiebat, ut ejus observantia omnibus esset carior, cùm eam officio, non timori, neque spei tribui viderent.

VII. Incidit Cæsarianum civile bellum, cùm haberet annos circiter sexaginta. Usus est ætatis vacatione, neque quoquam movit ex urbe. Quæ amicis suis opus fuerant ad Pompeium proficiscentibus, omnia ex sua re familiari dedit. Ipsum Pompeium sibi conjunctum non offendit. Nullum enim ab eo habebat ornamentum, ut cæteri, qui per eum aut honores, aut divitias ceperant: quorum partim invitissimi castra sunt secuti, partim summa cum ejus offensione domi remanserunt. Attici autem quies tantopere Cæsari fuit grata, ut victor, cùm privatis pecunias per epistolas imperaret, huic non solùm molestus non fuerit, sed etiam sororis filium & Q. Ciceronem ex Pompeii castris concesserit. Sic vetere instituto vitæ effugit nova pericula.

VIII. Secutum est illud. Occiso Cæsare, cùm Respub. penes Brutos videretur esse, & Cassium, ac tota civitas se ad eos convertisset; sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens æquali

quali familiariùs, quàm hoc ſene: neque ſolùm eum principem conſilii haberet, ſed etiam in convictu. Excogitatum eſt à quibuſdam, ut privatum ærarium Cæſaris interfectoribus ab equitibus Romanis conſtitueretur. Id facilè effici poſſe arbitrati ſunt, ſi & principes illius ordinis pecunias contuliſſent. Itaque appellatus eſt à Caio Flavio, Bruti familiari, Atticus, ut ejus rei princeps eſſe vellet. At ille, qui officia amicis præſtanda ſine factione exiſtimaret, ſempérque à talibus ſe conſiliis removiſſet; reſpondit, ſi quid Brutus de ſuis facultatibus uti voluiſſet, uſurum, quantum eæ paterentur; ſe neque cum quoquam de ea re collocuturum, neque coiturum. Sic ille conſenſionis globus hujus unius diſſenſione disjectus eſt. Neque multo pòſt ſuperior eſſe cœpit Antonius: ita, ut Brutus & Caſſius provinciarum, quæ iis [1] necis causâ datæ erant à conſulibus, deſperatis rebus, in exilium proficiſcerentur. Atticus, qui pecuniam ſimul cum cæteris conferre noluerat florenti illi parti, abjecto Bruto, Italiâque cedenti H-S. centum millia muneri miſit: eidem in Epiro abſens trecenta juſſit dari: neque eo magis potenti adulatus eſt Antonio, neque deſperatos reliquit.

IX. Secutum eſt bellum geſtum apud Mutinam. In quo ſi tantùm eum prudentem dicam; minùs, quàm debeam, prædicem; cùm ille potiùs divinus fuerit; ſi divinatio appellanda eſt perpetua naturalis bonitas, quæ nullis caſibus augetur, neque minuitur. Hoſtis Antonius judicatus, Italiâ ceſſerat; ſpes reſtituendi nulla erat. Non ſolùm ejus inimici, qui tum erant potentiſſimi, & plurimi, ſed etiam amici adverſariis ejus, ſe dabant; & in eo lædendo ſe aliquam conſecuturos ſperabant commoditatem, familiares inſequebantur, uxorem Fulviam omnibus rebus ſpoliare cupiebant, liberos etiam extinguere parabant. Atticus, cùm Ciceronis intima familiaritate uteretur, amiciſſimus eſſet Bruto: non modò nihil iis indulſit ad Antonium violandum, ſed è contrario familiares ejus, ex urbe profugientes, quantum potuit, texit; quibus rebus indiguerunt, adjuvit: P. verò Volumnio ea tribuit, ut plura à parente proficiſci non

1. *Necis causâ*] Plurimi mallent *dicis causâ* quam olim emendationem Rancontus, Turnebus, Cujacius, Lambinus & Schottus approbarunt. Omnes tamen MSS. habent *necis cauſa*, neque mutari vult Savaro, quia provinciæ illæ datæ erant à Conſulibus propter cædem illatam Julio Cæſari.

non potuerint. Ipsi autem Fulviæ, cùm litibus distineretur, magnísque terroribus vexaretur, tantâ diligentiâ officium suum præstitit, ut nullum illa stiterit vadimonium sine Attico, hic sponsor omnium rerum fuerit. Quin etiam, cùm illa fundum secundâ fortunâ emisset in diem; neque post calamitatem versuram facere potuisset; ille se interposuit, pecuniámque sine fœnore, sinéque ulla stipulatione credidit, maximum existimans quæstum, memorem gratúmque cognosci, simúlque aperire, se non fortunæ, sed hominibus solere esse amicum. Quæ cùm faciebat, nemo eum temporis causâ facere poterat existimare. Nemini enim in opinionem veniebat, Antonium rerum potiturum. Sed sensus ejus à nonnullis optimatibus reprehendebatur, quòd parum odisse malos cives videretur.

X. Ille autem sui judicii, potiùs quid se facere par esset intuebatur, quàm quid illi laudaturi forent. Conversa subitò fortuna est. Ut Antonius rediit in Italiam, nemo non magno in periculo Atticum putarat, propter intimam familiaritatem Ciceronis & Bruti. Itaque ad adventum Imperatorum de foro decesserat, timens proscriptionem: latebátque apud P. Volumnium, cui, ut ostendimus paulo antè, opem tulerat. Tanta varietas in his temporibus fuit fortunæ, ut modò hi, modò illi in summo essent aut fastigio, aut periculo. Habebat secum Q. Gellium Canum, æqualem, simillimúmque sui. Hoc quoque sit Attici bonitatis exemplum, quòd cum eo, quem puerum in ludo cognoverat, adeò conjunctè vixit, ut ad extremam ætatem amicitia eorum creverit. Antonius autem, etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non solùm ei, sed etiam omnibus suis amicis esset inimicus, eósque vellet proscribere; multis hortantibus tamen, Attici memor fuit officii: & ei, cùm requisisset, ubinam esset, sua manu scripsit, ne timeret, statímque ad se veniret: se eum, & Gellium Canum de proscriptorum numero exemisse, ac, ne quod in periculum incideret, quòd noctu fiebat, præsidium ei misit. Sic Atticus in summo timore non solùm sibi, sed etiam ei, quem carissimum habebat, præsidio fuit; neque enim suæ solùm à quoquam auxilium petiit salutis, sed conjunctim, ut appareret nullam sejunctam sibi ab eo velle fortunam. Quòd si gubernator præcipua laude fertur, qui navem ex hyeme, maríque scopuloso servat; cur non singularis

gularis ejus existimetur prudentia, qui ex tot, tàmque gravibus procellis civilibus ad incolumitatem pervenit?

XI. Quibus ex malis ut se emersit, nihil aliud egit, quàm ut plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio. Cùm proscriptos præmiis Imperatorum *vulgus* conquireret, nemo in Epirum venit, *cui res ulla defuerit.* Nemini non *ibi* perpetuò manendi *potestas facta* est: quin etiam post prælium Philippense, *interitúmque* C. Cassii, & M. Bruti, L. Julium Mocillam Prætorium, & filium ejus, Aulúmque Torquatum, cæteróque pari fortuna percussos instítit tueri, atque ex Epiro his omnibus Samothraciam supportari jussit. Difficile enim est omnia persequi, & non necessaria. Illud unum intelligi volumus, illius liberalitatem neque temporariam, neque callidam fuisse. Id ex ipsis rebus ac temporibus judicari potest, quòd non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit: qui quidem Serviliam Bruti matrem non minùs post mortem ejus, quàm florentem, coluerit. Sic liberalitate utens, nullas inimicitias gessit, quòd neque lædebat quemquam; neque, si quam injuriam acceperat, non malebat ulcisci, quàm obliviscì. Idem immortali memoriâ percepta retinebat beneficia: quæ autem ipse tribuerat, tandiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui receperat. Itaque hic *fecit*, ut verè dictum videatur, *Sui cuique mores fingunt fortunam.* Neque tamen priùs ille fortunam, quàm se ipse finxit, qui cavit, ne qua in re jure plecteretur.

XII. His igitur rebus effecit, ut M. Vipsanius Agrippa, intima familiaritate conjunctus adolescenti Cæsari, cùm propter suam gratiam, & Cæsaris potentiam, nullius conditionis non haberet potestatem, potissimùm ejus deligeret affinitatem, præoptarétque equitis Romani filiam generosarum nuptiis. Atque harum nuptiarum conciliator fuit (non enim est celandum) M. Antonius, Triumvir reipublicæ constituendæ; cujus gratiâ cùm augere possessiones posset suas, tantum abfuit à cupiditate pecuniæ, ut nulla in re usus sit eâ, nisi in deprecandis amicorum, aut periculis, aut incommodis. Quod quidem sub ipsa proscriptione perillustre fuit. Nam cùm L. Saufeii, equitis Romani, æqualis sui, qui complures annos, studio ductus Philosophiæ, Athenis habitabat, habebátque in Italia pretiosas possessiones, Triumviri bona vendidissent, consuetudine eâ, quâ

tum res gerebantur; Attici labore atque industriâ factum est, ut eodem nuntio Saufeius fieret certior, se patrimonium amississe, & recuperasse. Idem L. Julium Calidium, quem post Lucretii, Catullique mortem multò elegantissimum poëtam, nostram tulisse ætatem, verè videor posse contendere; neque minùs virum bonum, optimisque artibus eruditum; post proscriptionem Equitum, propter magnas ejus Africanas possessiones, in proscriptorum numerum à P. Volumnio, Præfecto fabrûm Antonii, absentem relatum expedivit. Quod in præsenti utrùm ei laboriosius, an glorioſius fuerit, difficile fuit judicare; quòd in eorum periculis, non secus absentes, quàm præsentes, amicos Attico esse curæ, cognitum est. Neque verò minùs ille vir, bonus paterfamilias habitus est, quàm civis.

XIII. Nam cùm esset pecuniosus, nemo illo minùs fuit emax, minùs ædificator. Neque tamen non in primis bene habitavit, omnibúsque optimis rebus usus est; nam domum habuit in Colle Quirinali Tamphilanam, ab avunculo hereditate relictam, cujus amœnitas non ædificio, sed silvâ constabat: ipsum enim tectum, antiquitùs constitutum, plus salis, quàm sumptus, habebat; in quo nihil commutavit, nisi si quid vetustate coactus est. Usus est familiâ, si utilitate judicandum est, optimâ; si formâ, vix mediocri. Namque in ea erant pueri literatissimi, anagnostæ optimi, & plurimi librarii; ut ne pedisequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulchrè facere posset. Pari modo artifices cæteri, quos cultus domesticus desiderat, apprimè boni. Neque tamen horum quenquam, nisi domi natum, domique factum, habuit: quod est signum non solùm continentiæ, sed etiam diligentiæ. Nam & non intemperanter concupiscere, quod à pluribus videas, continentis debet duci; & potiùs diligentiâ, quàm pretio, parare non mediocris est industriæ. Elegans, non magnificus: splendidus, non sumptuosus; omni diligentiâ munditiam non affluentem affectabat. Supellex modica, non multa; ut in neutram partem conspici posset. Neque hoc præteribo: quanquam nonnullis leve visum iri putem: cùm in primis lautus esset eques Romanus, & non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret; scimus non amplius, quàm terna millia æris peræquè in singulos menses ex ephemeride eum expensum sumptui ferre solitum: atque

que hoc non auditum, ſed cognitum prædicamus. Sæpe enim, propter familiaritatem, domeſticis rebus interfuimus.

XIV. Nemo in convivio ejus aliud acroama audivit, quàm anagnoſten: quod nos quidem jucundiſſimum arbitramur. Neque unquam ſine aliqua lectione apud eum cœnatum eſt; ut non minùs animo, quàm ventre convivæ delectarentur. Namque eos vocabat, quorum mores à ſuis non abhorrerent. Cùm tanta pecuniæ facta eſſet acceſſio, nihil de quotidiano cultu mutavit, nihil de vitæ conſuetudine: tantáque uſus eſt moderatione, ut neque in ſeſtertio vicies, quod à patre acceperat, parum ſe ſplendidè geſſerit; neque in ſeſtertio centies affluentiùs vixerit, quàm inſtituerat, parique faſtigio ſteterit in utraque fortuna. Nullos habuit hortos, nullam ſuburbanam, aut maritimam ſumptuoſam villam: neque in Italia, præter Ardeatinum, & Nomentanum, ruſticum prædium: omníſque ejus pecuniæ reditus conſtabat in Epiroticis, & urbanis poſſeſſionibus, ex quo cognoſci poteſt, eum uſum pecuniæ non magnitudine, ſed ratione metiri ſolitum.

XV. Mendacium neque dicebat, neque pati poterat. Itaque ejus comitas non ſine ſeveritate erat, neque gravitas ſine facilitate: ut difficile eſſet intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an amarent. Quidquid rogabatur, religiosè promittebat; quòd non liberalis, ſed levis arbitrabatur, polliceri, quod præſtare non poſſet. Idem in nitendo quod ſemel annuiſſet, tantâ erat curâ, ut non mandatam, ſed ſuam rem videretur agere. Nunquam ſuſcepti negotii eum pertæſum eſt. Suam enim exiſtimationem in ea re agi putabat: qua nihil habebat carius. Quo fiebat, ut omnia Ciceronum, Catonis, Marii, Q. Hortenſii, A. Torquati, multorum præterea Equitum Romanorum negotia procuraret. Ex quo judicari poterat, non inertiâ, ſed judicio fugiſſe Reipublicæ procurationem.

XVI. Humanitatis verò nullum afferre majus teſtimonium poſſum, quàm quòd adoleſcens idem ſeni Syllæ fuerit jucundiſſimus, ſenex adoleſcenti M. Bruto; cum æqualibus autem ſuis Q. Hortenſio, & M. Cicerone ſic vixerit, ut judicare difficile ſit, cui ætati fuerit aptiſſimus: quanquam eum præcipuè dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit, aut familiarior. Ei rei ſunt indicio, præter eos libros, in qui-

bus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, sexdecim volumina epistolarum ab Consulatu ejus usque ad extremum tempus ad Atticum missarum: quæ qui legat, non multùm desideret historiam contextam eorum temporum. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, ac mutationibus Reipublicæ perscripta sunt, ut nihil in his non appareat; & facilè existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solùm, quæ vivo se acciderunt, futura prædixit, sed etiam, quæ nunc usu veniunt, cecinit, ut vates.

XVII. De pietate autem Attici quid plura commemorem? cùm hoc ipsum verè gloriantem audierim in funere matris suæ, quam extulit annorum nonaginta, cùm esset septem & sexaginta, se nunquam cum matre in gratiam rediisse, nunquam cum sorore fuisse in simultate, quam prope æqualem habebat. Quod est signum, aut nullam unquam inter eos querimoniam interfuisse, aut hunc eâ fuisse in suos indulgentiâ, ut, quos amare deberet, irasci eis nefas duceret. Neque id fecit naturâ solum: quanquam omnes ei paremus: sed etiam doctrinâ; nam & principum philosophorum ita percepta habuit præcepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem, uteretur.

XVIII. Moris etiam majorum summus imitator fuit, antiquitatisque amator: quam adeò diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ornavit. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populi Romani, quæ non in eo, suo tempore, sit notata: &, quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. Fecit hoc idem separatim in aliis libris, ut M. Bruti rogatu, Junniam familiam à stirpe ad hanc ætatem ordine enumeraverit, notans, qui, à quo ortus, quos honores, quibúsque temporibus cepisset: pari modo, Marcelli Claudii, Marcellorum; Scipionis Cornelii, & Fabii Maximi, Corneliorum, & Fabiorum, & Æmiliorum quoque: quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum. Attigit quoque poëticen; credimus, ne ejus expers esset suavitatis. Namque versibus, qui honore, rerúmque gestarum amplitudine cæteros Romani populi præstiterunt, exposuit: ita, ut sub singulorum imaginibus facta, magistratúsque eorum non

amplius

amplius quaternis, quinisve versibus descripserit: quod vix credendum sit, tantas res tam breviter potuisse declarari. Est etiam unus liber Græcè confectus de consulatu Ciceronis. Hactenus, Attico vivo, edita hæc à nobis sunt.

XIX. Nunc, quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequemur: & quantum poterimus, rerum exemplis lectores docebimus, sicut suprà significavimus, *Suos cuique mores plerumque conciliare fortunam.* Namque hic contentus ordine equestri, quo erat ortus, in affinitatem pervenit imperatoris Divi filii, cùm jam antè familiaritatem ejus esset consecutus, nulla alia re, quàm elegantiâ vitæ, quâ cæteros ceperat principes civitatis, dignitate pari, fortuna humiliore. Tanta enim prosperitas Cæsarem est consecuta, ut nihil ei non tribuerit fortuna, quod cuiquam antè detulerit; & conciliarit, quod nemo adhuc civis Romanus quivit consequi. Nata est autem Attico neptis ex Agrippa, cui virginem filiam collocarat. Hanc Cæsar vix anniculam, Ti. Claudio Neroni, Drusilla nato, privigno suo, despondit: quæ conjunctio necessitudinem eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem.

XX. Quamvis ante hæc sponsalia, non solùm cùm ab urbe abesset, nunquam ad suorum quemquam literas misit, quin Attico mitteret, quid ageret in primis, quid legeret, quibúsque in locis, & quàm diù esset moraturus: sed &, cùm esset in urbe, & propter suas infinitas occupationes minùs sæpe, quàm vellet, Attico frueretur, nullus dies temerè intercessit, quo non ad eum scriberet: cùm modò aliquid de antiquitate ab eo requireret; modò aliquam quæstionem poëticam ei proponeret: interdum jocans ejus verbosiores eliceret epistolas. Ex quo accidit, cùm ædes Jovis Feretrii in Capitolio ab Romulo constituta, vetustate atque incuriâ detecta prolaberetur ut Attici admonitu Cæsar eam reficiendam curaret. Neque verò à M. Antonio minùs absens literis colebatur; adeò ut accuratè ille ex ultimis terris quid ageret, quid curæ sibi haberet, certiorem faceret Atticum. Hoc quale sit, faciliùs existimabit is, qui judicare poterit, quantæ sit sapientiæ, eorum retinere usum benevolentiámque, inter quos maximarum rerum non solùm æmulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit intercedere necesse inter Cæsarem, atque Antonium; cùm se uterque principem non solùm urbis Romanæ, sed orbis terrarum esse cuperet.

XXI. Tali modo cùm ſeptem & ſeptuaginta annos compleſſet, atque ad extremam ſenectutem non minùs, dignitate, quàm gratiâ fortunáque creviſſet, (multas enim hereditates nulla alia re, quàm bonitate eſt conſecutus) tantáque proſperitate uſus eſſet valetudinis, ut annis xxx. medicinâ non indiguiſſet: nactus eſt morbum, quem initio & ipſe, & medici contempſerunt: nam putarunt eſſe teneſmon: cui remedia celeria, faciliáque proponebantur. In hoc cùm tres menſes ſine ullis doloribus, præterquàm quos ex curatione capiebat, conſumpſiſſet: ſubitò tanta vis morbi in unum inteſtinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fiſtula putris eruperit. Atque hoc priuſquàm ei accideret, poſtquam in dies dolores accreſcere, febréſque acceſſiſſe ſenſit; Agrippam generum ad ſe arceſſi juſſit, & cum eo L. Cornelium Balbum, Sextúmque Peducæum. Hos ut veniſſe vidit; in cubitum innixus, *Quantam*, inquit, *curam diligentiámque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cùm vos teſtes habeam, nihil neceſſe pluribus verbis commemorare: quibus quoniam, ut ſpero, ſatisfeci, nihilque reliqui feci, quod ad ſanandum me pertineret, reliquum eſt, ut egomet mihi conſulam. Id vos ignorare nolui. Nam mihi ſtat, alere morbum deſinere. Namque his diebus quicquid cibi ſumpſi, ita produxi vitam, ut auxerim dolores, ſine ſpe ſalutis. Quare à vobis peto, primùm ut conſilium probetis meum; deinde ne fruſtrà dehortando conemini.*

XXII. Hac oratione habita, tantâ conſtantiâ vocis atque vultûs, ut non ex vita, ſed ex domo in domum videretur migrare; cùm quidem Agrippa eum flens, atque oſculans oraret atque obſecraret, *ne ad id, quod natura cogeret, ipſe quoque ſibi acceleraret;* &, *quoniam tum quoque poſſet temporibus ſupereſſe, ſe ſibi ſuiſque reſervaret;* preces ejus taciturna ſua obſtinatione compreſſit. Sic cùm biduum cibo ſe abſtinuiſſet, ſubitò febris deceſſit, leviórque morbus eſſe cœpit: tamen propoſitum nihilo ſeciùs peregit. Itaque die quinto, poſtquam id conſilium inierat, pridie Kal. April. Cn. Domitio, C. Soſio Coss. deceſſit. Elatus eſt in lecticula, ut ipſe præſcripſerat, ſine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maximâ vulgi frequentiâ. Sepultus eſt juxta viam Appiam, ad quintum lapidem, in monumento Q. Cæcilii avunculi ſui.

PETRUS

PETRUS VICTORIUS
LECTORI.

CUM olim fidelis liber epiſtolarum M. T. Ciceronis ad Atticum ad manus meas perveniſſet, cauſâ ille quidem mihi fuit multorum laborum : ſtudioſis autem humaniorum literarum non parvæ utilitatis : adhibitâ enim multâ curâ ac diligentiâ, contuli cum ipſo vulgata exemplaria earum epiſtolarum : ſuſtulique inde infinitum penè numerum fœdiſſimarum macularum. Præcipuè autem egregiam operam navavi ope illius exemplaris, in Græcis vocibus, totíſque ſententiis ejus ſermonis reſtituendis : quarum pulcherrimarum graviſſimarúmque plenum hoc volumen eſt. Quàm multæ autem lacunæ priùs illic eſſent, aut verba Græca parum aptè expreſſa, facilè omnes animadvertere potuerunt, qui ſumpſerint in manus epiſtolas has, ante id tempus excuſas. Præſtiti igitur quod potui tunc ſumma cum fide ac ſtudio in hoc opere expoliendo, ut omittam labores, quos etiam ſuſtinui maximos in cæteris operibus politiſſimi ſcriptoris, orationibus exceptis, emendandis. Extitere poſtea alii, eruditi & ingenioſi homines, qui & ipſi non parum operæ poſuerunt in iiſdem his epiſtolis corrigendis, multis undique calamo exaratis libris collectis : illi tamen ita integrum fideléque exemplar, utì meum eſt, nullo ſuo labore, invenire potuerunt : in quibus etiam fuit, qui hoc à me non ſine cauſa tantopere laudatum, Ferrariæ vidit, atque optimum quoque ſemper exiſtimavit, cùm ipſum Benedicto Accolto Cardinali, diſerto viro ac valde ſtudioſo eloquentiæ Ciceronianæ, commodaſſem, apud quem tunc erat Octavius Pantagathus, vir probus & ſatis acutus in ſcriptis veterum auctorum examinandis, quod teſtari volui ut ſciant omnes me ſemper, quidquid potuerim adminiculi omnibus, qui poſſent illuſtrare ſuis vigiliis optimos ſcriptores, præbuiſſe, non mihi ſoli facultatem hujus rei ordine gerendæ cuſtodiſſe : cujus animi mei teſtimonia multa atque exempla, ſi opus eſſe judicarem, afferre poſſem. Quia autem liber hic non penitus mihi cognitus tunc fuit, cùm fidelitatem ejus perſpexi : neque etiam Angelo Politiano, qui ipſum cap. LIII. ſuorum Miſcellaneorum valde laudavit, & de fato quodam ipſius diligenter locutus eſt ; volo de origine ipſius quædam prædicare : fuiſſe igitur Politianus narrat quatuor ſuæ cujuſque ætatis eruditiſſimorum virorum, etſi de primo, qui Franciſcus Petrarcha fuit, non planè ipſi conſtitit, qui tamen (ut poſtea inventum eſt à me) non ſolùm ipſum poſſedit, verùm etiam ſua manu ſcripſit, expreſſum è vetere exemplari, quod ille reperit, cùm diu multúmque (ut in epiſtola quadam ſua narrat) epiſtolas has Ciceronis conquiſiſſet, quæ ante id tempus in tenebris latebant : nec ſolùm volumen hoc ipſum deſcripſit, ſed etiam illarum, quæ Familiares vocantur : quæ, cùm apud nos in divi Marci bibliotheca cuſtodiantur, creduntur hujus diligentiſſimi viri manu exaratæ eſſe : conſtánſque hæc eſt opinio de illis in animis noſtrorum hominum ; cujus etiam rei argumentum eſt, quòd Gallicis literis liber exaratus eſt : quis enim neſcit vixiſſe Petrarcham in provincia Galliæ longo ætatis ſuæ ſpatio ? quare imitabatur in ſcribendo characteres ejus terræ peculiares : agnoverunt autem formam earum litterarum plures adoleſcentes Galli, ſtudioſi humanioris doctrinæ, quibus codicem hunc ipſum oſtendi, cùm tranſirent hac, Romam proficiſcentes. Quod autem omnem ſcrupulum evulſit, hujuſmodi eſt. Ludovicus Beccatellus archiepiſcopus, ſenex optimus, & omni honore digniſſimus, de cujus eruditione, probitate, uſu magno reipublicæ Chriſtianæ, in qua adminiſtranda ſumma cum laude verſatus eſt, ſupravacaneum eſſet accuratiùs diſputare, in aliis nonnullis egregiis monumentis antiquitatis, quæ habet,

bet, habet etiam epistolas plures, quas suspicabatur, conjecturas quasdam secutus, Francisci Petrarchæ esse: neque enim integræ voces hæ illic sunt, sed primæ tantum & prænominis & nominis literæ in illis notatæ. Cupidus igitur veritatis investigandæ, quæsivit ex me an verum foret, quod aliquando audisset, extare apud nos Ciceronis epistolas Petrarchæ manu scriptas. Respondi id quod erat, me ita opinari, cunctas ipsius, quæ vetustate consumpta non sunt, in duobus voluminibus hîc inveniri: quorum alterum apud me esset. Contulimus igitur accuratè epistolas illas Petrarchæ pusillas: minutæ enim sunt tenuésque, (quæ causa fortasse fuit, ut postea in volumen, quod editum est, redactæ non fuerint) cum meo epistolarum Ciceronis volumine: singulísque literis formísque ipsarum ponderatis, convenire omnia mirificè inter se animadvertimus, ut prorsus & illæ & codex meus ab eodem homine scriptus intelligeretur. Utinam inveniretur exemplar, unde has ad Atticum descripsit Petrarcha, ut extat illud, quo usus est in describendis alteris illis, quæ Familiares appellantur (de cujus libri antiquitate, omni veneratione digna, magnificè multa, veréque alio loco prædicavi) confiderem me auxilio ejus antiqui libri non pauca adhuc loca in his epistolis emendare posse, præsertim ubi Græca aliqua vocabula sunt, cujus sermonis Petrarcha, vitio illius ætatis, imperitus fuit: nec tamen non (ut erat omni in re accuratus) ita etiam verba illa, ignota sibi, pingebat, ut cuncta penè non magno labore legantur. Nam quantam caliginem afferat sæpe unius literæ perversio facilè omnes animadvertere potuerunt, qui in hoc munere corrigendi antiquos auctores, aliquantum versati sunt. Cùm autem (ut opinor) hujus vetusti libri jactura facta sit, ereptúmque è manibus auxilium majus purgandi has epistolas, affirmare ausim multis judiciis testimoniisque hujus rei perspectis, nullum fidelius exemplar harum epistolarum inveniri, quàm hoc ipsum est, quod jampridem ego canto: cæteráque, quæ calamo exarata visuntur, fluxisse ab hoc prorsus puto, aut fortasse ab illo ipso, unde hoc descriptum fuit: neque enim negarim fieri etiam hoc potuisse; cujus tamen rei vestigium certum nullum vidi, nihilque contrà correctum adhuc in his epistolis cognovi, cujus veræ lectionis non appareant vestigia in hoc meo exemplari, præterquàm si qua conjecturâ restituta sunt: quæ ratio corrigendi veteres auctores quàm lubrica & periculosa sit, arbitror me multis argumentis docuisse. Cùm igitur post spatium xxxv. annorum voluntas tulisset, ut rursus hoc præclarum opus recolerem, atque id nunc facere à quibusdam familiaribus meis impulsus essem ac penè coactus, confugi iterum ad eundem illum librum, à quo primo tantum præsidii accepi, atque ipsum sedulò tractavi. Observavi autem in hoc quod soleo, & quotidie magis verum esse, custodiríque debere intelligo, ut ne latum quidem unguem discederem ab auctoritate antiquorum librorum: in primis autem hujus, meritò quidem mihi probati, exemplaris. Vellem Deus opt. max. mentem dedisset, ut idem facerent, non paucis, doctis & ingeniosis viris, & non tantopere illi acumini sui ingenii indulgerent, meliore loco (ut arbitror) veteres scriptores forent. Quòd si aliquando etiam labis aliquid mendíque ipsa occupavit, quod speciem recti habeat: & non apertè culpâ librariorum commissum esse cognoscatur (neque enim inficior errata quædam hujusmodi in ipsis etiam aliquando inveniri) malo cum antiquis libris errare, quàm nimio amore rerum mearum, arrogantiæque quodam genere unum aut alterum locum emendare, dum tamen, quod illis contigit, in multo pluribus labar ac peccem: quod commemorasse volui instituti mei defendendi causa, non consuetudinis aliorum insectandæ. Cùm autem olim, incumbens in hanc curam, loca fere solùm harum epistolarum, quæ videbar mihi restituisse, brevibus scriptis meis comprobassem, & non nulla quoque, quæ mihi suspecta erant, mendosáque videbantur, indicassem: nec multum studii posuissem in illis, quæ obscuriora sunt, declarandis, nunc in hoc meo iterato labore me aliter gerere decrevi: ac quæcunque putabo explicatione egere, aut aliquo pacto illustrari ornaríque posse, notabo: nec cessabo etiam aperire suspiciones quasdam meas, & non pauca, quæ in mentem mihi venerunt, non aliena (nisi fallor) à sententia auctoris elegantiáque Latini sermonis, quæ tempori illi reservavi: neque enim me adeò hebetis ingenii hominem esse puto, ut non possim,

sim, si velim, loca multa, quæ depravata hîc sunt, ita reconcinnare, ut sensus aliquis commodus inde eliciatur: enitárque demum utilissimum hoc, multúsque de causis amandum M. Ciceronis opus, quacunque ratione potero expolire. Quod tamen, ne nunc faciam, impedior nonnullis institutis meis laboribus ac penè ad exitum perductis, quos si absolvero, statim animum convertam ad hanc curam, ac fidem meam liberabo, utinam, in quo plurimum nunc laboravi, plenius efficere potuissem: cunctáque menda hinc tollere: restant enim non pauca: atque ea quidem adeò molesta, ut non videantur posse sine ope fidelioris libri alicujus ingenio tutò deleri: placet enim mihi plagas hujus pulcherrimi corporis aperire, quod sanè non sine dolore facio: studium certè meum non defuit ac desiderium acre præstandi hoc, quod desiderium nunquam in animo meo, dum vivam, extinguetur: usu enim mihi venire credo in honesto amore harum epistolarum fidelissimíque ipsarum exemplaris, quod in libidinoso amore semper contingere affirmat apud Euripidem Hecuba, ubi suadet Menelao ne patiatur imponi in eam navim, qua ipse (domum rediens) veheretur, recuperatam longo bello, impuram ac consceleratam mulierem, metuens ne vetus flamma rursus in pectore teneri viri accenderetur: atque ita ipsa gaudere non posset supplicio Helenæ, quæ sibi universorum malorum, quæ cadere in hominem possunt, causa extitisset. Inquit igitur illa, Nullum unquam inventum esse amatorem, qui non perpetuò amaret: dilexi enim ego quoque vehementer, cùm primùm ipsum natus sum, librum hunc, ac quotidie magis, perspectâ ejus bonitate, multúsque testimoniis confirmatâ, diligo: qui etiam amor me impulit ut ipsum collocarem in pulcherrima ac copiosissima totius orbis Medicea bibliotheca: ita namque ille magis ab omni periculo vacuus erit, quàm si in privata domo custodiretur: & in claro illustríque lòco positus, ante oculos non solùm meos, verùm etiam studiosorum omnium manebit: cùm enim studium Cosmi Medicis, magni nostri Ducis, adjuvare volens, qui præclaram supellectilem librorum, acceptam à majoribus, auctámque magnis suis sumptibus, & gratiâ, qua floret, in pulcherrimo à se absoluto ædificio, consecravit, utilitatibúsque literatorum hominum exposuit, libros omnes meos antiquos, & Græcos & Latinos, quos longo studio ac diligentiâ mihi paraveram, ei dono dedissem, hunc etiam, delicias atque amores meos, ipsis adjunxi. Quo ex consilio hoc etiam boni redundabit, quòd liber hic, in publico loco situs, me fide usum esse omni tempore in hoc munere obeundo, declarabit, & ne minuta quidem ulla & pusilla in re, fuco ullo, aut fallaciâ usum, quod in primis ego opto & officio famæque meæ opportunum esse judico. Sed de hoc nimis fortasse multa: quare desinam. Rogabo tantùm cupidos liberalium studiorum, ut laborem hunc meum æqui boníque faciant; nec cessent ipsi, si aliqua ratione efficere possint, admovere manus huic maculoso operi: dummodo in eo cautè moderatéque se gerant.

Florentiæ, M. D. LXXI.

Sebastianus CORRADUS *Lectori.*

QUinque jam propè sunt anni, cùm ego Venetiis cum Sylvestro Mauroceno Joannis F. viro, quem semper honoris causâ nominabo, ita vivebam, ut nihil mihi neque ad animi tranquillitatem, neque ad otium deesse videretur. Id otii cùm ego in Græcis literis majorem partem consumerem, & jam tum deinceps in sacra philosophia consumere constituissem, adolescentes non pauci nobilissimi, & studiosissimi, qui me vel apud Egnatium præceptorem illum nostrum norant, vel Quæsturam, & τὰ σχόλια in epistolas, quæ familiares dicuntur, nostra tum primùm descripta legerant, à me cùm per se, tum per amicos communes summopere contenderunt, ut sibi Ciceronis epistolas ad Atticum subsecivis operis explicarem. Illos ego libenter sanè quidem ad alios rejecissem, quòd onus mihi gravius imponi videbam, quàm quod possem sustinere; sed cùm & illi valde instarent, nec ego so-

leam, quod à me honestè petitur, negare, id suscepi, &, ne, quæ interpretando vel invenissem, vel excogitassem, prorsus perirent, ea scriptis mandavi, non eo medius fidius consilio, ea, ut unquam apparerent, sed si unquam aliàs accideret, ut eas epistolas interpretandas susciperem, ea mihi soli ut prodessent, ut tres jam annos, quibus eas epistolas Regii publicè sum interpretatus, profuere. Ut enim amicissimi mei Petrus Victorius, & Paulus Manutius viri doctissimi, & de literis latinis optimè meriti, plurimum operæ, & studii in eam rem contulerint, quia tamen neuter illorum totum opus exposuit, sed alter castigationibus, ut vocat, alter σχολίοις centum septuaginta summum contentus fuit: atque in eo opere declarando is est labor, cui nunquam exhausti satis est, ut inquit Poëta, mihi necesse fuit hisce tribus annis non ea modò, quæ Venetiis scripseram, iterum legere, sed alia etiam addere, multa comminisci, & nihil non tandem tentare, ut quam expectationem mei apud cives meos absens concitaveram, eam præsens sustinere, ac tueri possem. Non dico quid in ea re sim consecutus; illud dico, M. Antonium Flaminium, & Romulum Amasæum viros optimos, & homines doctissimos, mihique summâ benevolentiâ conjunctos, superioribus mensibus Regium cùm venissent, Pontificem Max. comitati, mihi auctores fuisse, ut, quæ intellexissent à me in epistolis ad Atticum interpretandis explicata, ea foràs dari sinerem, nec paterer, quantum esset in me, librum longè omnium re vera, & doctissimi cujusque judicio utilissimum, de manibus hominum, rerum, quæ in eo sunt, ignoratione quasi deponi. His ego etsi poteram respondere: οὔτι πίφυκα μάντις, & cur vos bovi clitellas, cùm vestrum hoc sit onus? quia tamen sciebam & eos in aliis rebus multò majoribus, quæ ut spero, brevi apparebunt, occupatos esse, & id à me quasi debitum jam postulari, & penè flagitari, ut quemadmodum familiares olim, ita nunc epistolas ad Atticum illustrarem; quæcunque in eas vel scripseram, vel à me excogitata, & de superiori loco dicta memineram, collegi, & in commune contuli, sperans fore, ut aliquid opis, atque adeò lucis harum epistolarum studiosis videar attulisse. Hæc tu, benigne lector, ita leges, ut ab homine profecta, qui unum illud egerit, ut tibi prodesset, putaritque id vel maximum suorum laborum præmium fore, si id esset consecutus; atque, ut ea commodiùs legas, & meliùs intelligas, placet rationem, quam secuti sumus, paucis exponere. Librum igitur cum libro, rem cum re, & tempus cum tempore ita conjunximus, ut, quod scripsit Cornelius Nepos, qui sexdecim hæc volumina epistolarum ab consulatu Ciceronis usque ad extremum tempus ad Atticum missarum legat, non multum desideret historiam contextam eorum temporum. Et sanè Cicero historiam quasi contexere videtur voluisse, cùm epistolas non solùm suas, sed alienas etiam in hæc volumina referendas curarit. Epistolas nos ipsas multis locis ita permistas, & confusas, ut tibi chaos quoddam planè referrent, ad arbitrium nostrum & conjecturam secuimus, & divisimus, arbitrati, quamvis suo prorsùs loco non fuerint sectæ, & divisæ, sic tamen & rem totam faciliùs intelligi, &, ne eadem sæpiùs repeterentur, te lector ad singulas epistolas ita numero signatas commodiùs rejici posse: præsertim cùm sub eodem numero epistolas, & πρὸ σχόλια nostra simus complexi. Neque tamen cur ita fecerimus, semper nobis rationem reddendam esse duximus: quæ & quivis per se intelligere poterit, & nos brevitati in primis studuimus: in quo Græcos interpretes, & præsertim Homericum sumus imitati. De propriis nominibus cùm doctorum hominum diversas opiniones esse videremus, quæ alii ne quærenda quidem putarent, alii verò epistolas hasce à nemine posse interpretari crederent, nisi ab eo, qui historias omnes etiam privatorum hominum ut ungues nosset suos, nos, qui neque multùm, neque nihil operæ dandum huic rei semper censuimus, nomina eorum, qui vel ita ignobiles fuere, vel ita rejecti à scriptoribus, vel recepti illi quidem, sed ita cum illorum libris desiderati, ut vix, ac ne vix quidem inveniri posse viderentur, curiosis quærenda reliquimus, præsertim si ea cognosse non magni referre putavimus: illa verò, sine quibus res intelligi non poterat, quàm diligentissimè potuimus, sumus persecuti, neque tamen veriti sumus, ne, qua in re multus est Cicero ipse in his præsertim epistolis, in ea nos nimis curiosi esse videremur. Atque

illud

illud quidem in primis curavimus, ut Ciceronis epistolas ex Ciceronis epistolis, cæterisque ejus libris potissimum interpretaremur, & sæpe locum cum loco conferremus. Quòd si fortè quid occurrit, ut multa occurrêre, ubi cæterorum scriptorum auxilio esset opus, nullum fugimus laborem neque illis legendis, neque his, quæ multa in hisce epistolis græcè scripsit, rectè vertendis. Quibus quidem in rebus nullius scriptoris nomen, quod in nostris familiarium σχόλιοις scimus desideratum, tacuimus. A primo quidem non ita cogitaram, ut minima quæque quasi interpres persequerer: sed me posteà & rei susceptæ amor & communis utilitas movit, & penè monuit, ut nihil ferè, de quo vel dubitari posset, prætermitterem, præsertim si ab aliis aliter vel descriptum, vel interpretatum fuisset. Videmus enim nullum esse librum, in quo tàm librarii, quàm interpretes minùs operæ, & studii posuerint: semper tamen excipio Andream Cratandrum, Petrum Victorium, & Paulum Manutium, qui pro virili parte laborarunt, ut librum nobis hunc quàm emendatissimum traderent: quod illi, quæ fuit illorum diligentia, essent assecuti, si plures libros manu scriptos habuissent: sed cùm duo tantummodò hujuscemodi libri qui autoritatis aliquid habeant, hodie reperiantur, alter in Italia apud Petrum ipsum Victorium, qui Franciscì Petrarchæ fuisse dicitur: alter in Germania, quem Beatus Rhenanus legit, & Cratander videtur secutus, & hi quoque, ut apparet, dimidiati, & corrupti, ex his difficile esset, vel potiùs planè ἀδύνατον ita omnia restituere, ut nihil desiderares. Quare nobis & ea, quæ illi in medium protulere, accuratiùs considerandæ fuere, & libri tum novi, tum veteres ad unum omnes legendi. Qua in re quid laboris tulerim, & intelligere possunt omnes, qui semel sunt experti, & tu, Lector, legens judicabis. Mitto nunc, quot libri manu illi quidem, sed malè scripti, & penè lacerati nobis vel Venetiis, vel Bononiæ, vel alibi fuerint volvendi: quot de conjecturis doctissimorum hominum quasi conjecturæ faciendæ, quot denique opiniones, & interpretationes ex amicorum libris describendæ. Nihil dico de tempore, quod locis explicandis, quod αἰνίγμασι solvendis, quod notis interpretandis consumpsimus. Taceo quoque leges, plebiscita, senatus-consulta, & Prætorum edicta: quæ nobis omnia vel invenienda, vel certè fuerunt explicanda. Illud unum dico paucis, nos pedibus & manibus contendisse, nullum fugisse laborem, nullam rei familiaris, aut temporis habuisse rationem, ut quod opus longè omnium difficillimum propter rerum ignorationem videbatur, nunc per nos quàm facillimum, & planissimum exiret: quod si consecuti sumus, tu, Lector, Deo Opt. Max. gratiam habebis, & id boni consules, nósque amabis: sin sæpe, ut veremur, offendimus, tuum erit existimare nos homines esse, & quod præstare potuimus, ad omnium usum libenter contulisse. Vale. IV. Kal. Jan. M. D. XLIII. Regio Lepidi.

Leonardi MALÆSPINÆ *Præfatio.*

NOn eram nescius, Lector, cùm primùm induxi animum, ut in his epistolis M. Tullii Ciceronis ad Atticum, vel emendandis vel explicandis elaborarem: quàm difficile arduúmque negotium, quàm etiam invidiosum, calumniæque subjectum susciperem. Namque, ut omittam, quantum mihi, jam tum animo prospicerem, subeundum esse laboris, in conquirendis undique comparandísque vetustis libris, quorum est ingens inopia præsertim bonorum: quantum operæ in his uno tempore, non modò perlegendis, sed, quod est subdiosum, inter se etiam conferendis consumendum: illud, quantum videri debuit, quàm periculosum ac lubricum, in summa lectionum varietate, varietate autem? fœditate ac deformitate, vel recta ac prava dijudicare, vel depravata corrigere, suámque his, quoad ejus fieri potest, speciem restituere, aut eam certè adumbrare? Tantùm scilicet, quantùm ii modò intelligunt, qui sunt in hac arena aliquando versati. Ut est enim dulce, quod dici solet, inexper-

tis bellum, ita iis, qui hoc luctationis genus non attigerunt, ludus fortasse videatur ac jocus, ex *Quidem erit*, *Quid emerit*: ex *Sciebam*, *Scribam*: ex *Sit tibi*, *Syttibæ*, facere. Tantúmne est, inquiunt, in unius literulæ aut syllabæ vel mutatione, vel trajectione, vel adjectione negotii? Sic illi, puto, cùm locum emaculatum nacti fuerint. Quibus ego, ne diutiús opinione fallantur, vehementer auctor sum, ut locum sibi ipsi aliquem malè affectum proponant: suppeditabunt ii libri vel D C: in quo periculum faciant sui ingenii. Sentient, profectò sentient, quàm sibi inaniter ipsi subblanditi fuerint: quàm suam de se ipsi expectationem deceperint: essèque sibi negotium intelligent, cum monstris plus quàm Herculeis. Quid? tu igitur, dicat aliquis, hàncne tibi sapientiam ascisçis præter cæteros, ut illud profiteare, cujus tu spem quodammodo reliquis, aut diminuas, aut præcidas? Minimè ego quidem: nec sanè est, cur ascisçam: sed hoc volui dicere, opus quod instituteremus, operosum esse, multæque contentionis: & nos jam inde ab initio sic prævidisse, ut illud quoque, multos fore qui hoc nostrum consilium institutúmque reprehenderent.

Audisse enim me quosdam memoriâ teneo, in eos graviter stomachantes, qui huic ipsi operi manus admoverent: non enim purgari libros, sed fœdari: non tolli vitia, ut existimantur, sed alia super aliis cumulari: dum quisque vel ex suis libris si suppetant, vel ex suo sensu, aliter atque aliter emendat, jam tutum ac certum quod sequamur, nihil relinqui: ut jam præstet ad Aldinos, atque his etiam vetustiores se referre. Jam verò, quod ad rem ipsam attinet, negotium sanè leve esse, & ad eloquentiæ summam, nihil aut parum conducens. Quid enim tantùm obsit, inquiunt, unius atque alterius vocis aut sententiæ nonnunquam ignoratio, quæ tamen nihilò minùs aliunde, non uno ex loco, sed pluribus si res poscat, abundè tibi possis comparare? Prudentis enim gubernatoris esse, quoad ejus fieri potest, scopulos declinare, nec committere, dum, aut animi pertinaciâ, aut levitate evectus, rectum tenere cursum prorsus contendat, vel ad saxum adhæresçat, vel, si illud tamen veluti Xerxes perfregerit, cursúmque sibi aperuerit, seriùs in portum, quàm suis rationibus expediat, pervehatur: magnáque boni otii jacturâ, tantula victoria constet. Postremò addunt: hoc, eò etiam odiosius, minúsque ferendum esse, quòd hoc malum, optimo fortasse animo commotum, ita brevi, non serpserit, sed irruerit atque invaserit, ut & novi quotidie emendatores per ambitionem existant, & libri per licentiam deteriores: ut nisi provisum sit, sanè paucis annis, non Ciceronem ac Livium, non Plautum ac Terentium, sed mera insomnia audaciissimorum hominum simus habituri.

Hæc illi, atque his fortasse plura: quæ, cùm mihi videantur per delicias potiùs atque ineptias, occultæ tamen invidentiæ, sed quæ appareat, implicitas, quam verè atque ingenuè prolata, deterrere me ab hoc conatu non potuerunt. Sunt enim quidam sensu sic depravato, ut cùm alienæ industriæ habere gratiam debeant, invideant: & quod ipsi præstare non possunt, damnent in aliis: laudémque prudentiæ atque doctrinæ, non tam ipsi scribendo, quàm aliorum scripta insectando: aucupentur. Qui tamen ipsi (ut animi morbum agnoscas) si quid in eo genere fortè excogitaverint, hoc non modò non dissimulant, non comprimunt, sed quasi Ilium expugnaverint; ostentant, triumphant: nec minùs, quàm qui thesaurum invenerint, exultant: ut intelligamus hæc eos, non judicio, cùm hinc sibi laudem petant: sed obtrectandi studio culpare. Et me Hercule, si verum dicere volumus, quotusquisque est hodie, qui si in locum depravatum, inter legendum inciderit, non primùm ægrè ferat, in ipso quasi cursu, velut ad metas adhæresçendum esse? deinde, ne lectionis fructu privetur, semel atque iterum tentet, si quam rationem possit inire explicandi sui, locúmque corrigendi? &, si id ex sententia ceciderit, non vehementer lætetur, non modò quia mentem auctoris assecutus sit, sed multò etiam magis, quia auctor ipse sibi sententiæ illius quodammodo videatur, cui in mentem venire potuerit, quod & illi ipsi? Naturâ comparatum est hoc, &, ut cognoscendi cupiditas, nobis penitùs insitum. An verò naturæ opus esse negemus, ad quod æquè omnes desiderio duci fateamur? Ergo animum inducere sustinebimus, ut messes improbemus illas,

las, quorum sementem in nobis ab ipsa fieri sentiamus ? Nimirum pravitatis hujus fons atque origo, livor est. Nam de iis, qui sensûs infirmitate atque imbecillitate delinquunt, nihil planè dicimus : qui quanquam minùs sunt odiosi, quàm qui malevolentiâ concitantur (levior enim offensio est ejus, qui per imprudentiam, naturæque vitio, quàm qui *sciens ac prudens, in fraudem incidit*) *tamen emendari vix possunt. Hos ergo missos facio : cum his mihi negotium est*, qui peccant deditâ operâ, & fortasse etiam deliciarum causâ : quibus tamen respondere supersedissem, ratus, doctis & judicio præditis hominibus, satis jam factum esse : nisi vererer, ne, si isti tacitum ferant, non tam noluisse nos, quàm non potuisse respondere, prædicent. Et simul iis consultum esse voluimus, qui longiùs videre non queunt. Ergo, quid illi criminantur ? Contaminari libros, non purgari. In quo eos justissimam habere causam fateremur, si quemadmodum sibi suo quodammodo jure ipsi sumunt, ita esset. Nunc, quis est adeò rerum imperitus, quis ita peregrinatur à literis, quin sciat, hæc Ciceronis ad Atticum epistolarum volumina, (nam de cæteris ejus scriptis atque etiam aliorum silebo) hæc verò quis ignorat ante annos quadraginta, perpaucorum hominum in manibus fuisse? Quid ita ? Aiunt nonnulli, quòd ænigmatis de industriâ obscurata, nullâ vi ingenii possint intelligi. Non negamus esse quædam illiusmodi ; sed ea tam rara esse dicimus, ut à reliquorum lectione arcere homines non debuerint. Vulnerum quibus confixa erant calamitas, hanc culpam veriùs sustinebat : quæ cùm essent innumerabilia, rem in eam opinionem adduxerunt, ut quidquid minùs perciperetur, id ænigma putaretur : cùm plerumque peccata essent, tum librariorum, dum minùs quàm oportet, officio suo intenti essent, tum fortunæ cujuspiam culpâ, contracta : quâ hæc, præter cætera scripta Ciceronis, miserâ adversâque usa sunt. Quare quid sibi velint ii, qui mendis, nostrâ operâ inquinari libros queruntur, non satis percipio : illud quidem intelligo, doctissimorum hominum curâ ac diligentiâ factum esse, ut quæ anteà vix ab ullo attingerentur, nunc omnium manibus tractentur, volvantur, terantur. An verò ii vivi sunt, cùm hoc fecerunt, oleum, & operam perdere, cùm instrumentum nobis illud restituerunt, quo haud scio an aliud inveniri possit majus, sive quis purè, aptè, copioséque dicere, sive prudenter velit ? Nam mea illa semper opinio fuit : cùm dicendi ratio, tum verbis, hisque vel singulis vel conjunctis, tum rebus ipsis constet : neque res hîc deesse, cùm memoria annorum circiter triginta (ut omittam alias utilitates) his colligata libris sit : & verborum in omni genere dicendi, sed in fortuito ac familiari sermone, ingens hinc vis & copia suppetat. At possis eadem ex aliis ejusdem libris, ne sit tantum boni temporis consumendum. Quid si illi itidem corrupti sint? Quid si in his singularia quædam sint, quæ alibi non reperias? Nimirum putida est hæc & odiosa sedulitas. Illa propemodum non injusta, quæ modum in his quærit, & licentiam cohibet, novarúmque lectionum cupiditatem ; quâ factum sit, ut legentium sæpe sententia fluctuet, certique nihil habeat.

Nos tamen sic statuimus, cùm duæ sint emendandi rationes, una quæ in veterum librorum integrâ scripturâ, altera quæ in conjecturâ suspicionéque cernatur ; illam quidem tutam esse, sed quæri optarique sæpiùs, quàm optanti quærentique occurrere, ac se ostendere. Quod ita esse, eos intelligere certò scio, quibus studium fuit, hæc, vel primoribus digitis attingere. Hæc ergo felicitas, cùm perrarò contingeret, hanc sibi veniam docti postulaverunt, ut alterâ liceret uti, quæ in conjecturâ sita est : quam qui omnem prorsus exsibilant, & quasi majestatis damnatam, aquâ ignique interdicunt, ii mihi malâ ratione facere videntur ; nec satis quid in quaque re sit, posse dispicere. Ego contrà nullam rejicio : sæpe enim ad veritatem ducit : sed non omnibus locum do. Cùm enim conjecturæ ratio multiplex sit, ex mutatione, trajectione, additione, mutatione literarum : ex sententia atque historia, penitùs damnata ac repudiata scriptura : quæ à proposito declinet, quæve collimet, vel mediocriter eruditi facilè sentiunt. Protinus enim, si bona est, animus acquiescit, ultróque arripit : sin minùs acquiescat & arripiat, certè melius desiderat. Quare de hac re ita censeo : ei quæ doctorum hominum judicio probetur, sive illa ex scripturæ vestigiis, quæ & tutior est ; sive, ubi vel de-

sint, vel certè non extent vestigia, ex historia atque ex ingenio facta sit: dum ne verbis inferciendis, corrosa mutilatáque loca, quasi rimas expleat, locum esse, in serie verborum, velut justis Equitibus in quatuordecim ordinibus, dandum. Quod quidem hactenùs factitatum esse, vel ex uno atque altero harum epistolarum libro, sexcentis in locis facilè possim ostendere: in quibus aliter atque in manuscriptis legitur, impressum est, & communi quasi judicio admissum. Siquidem non esse omnia in consensu exemplarium, judicióque aliquid dari, illud argumento est, quòd non rarò unius auctoritas multis præponitur. Cui verò animus vix, aut ne vix quidem assentitur, ne ei quidem conjecturæ, theatri aditu prorsus interdicendum puto, dum ne eâdem sede dignetur. Nam neque aliarum luminibus obstruit, in imo jacens, & sæpe ascensum, quamvis per incisos maléque hærentes scalarum gradus, fortibus parat. Hujus ergo modi conjecturæ, seu mavis suspiciones ac divinationes, (sic enim appello eas, quæ prorsus à scriptura discedunt, citiúsque sententiâ, quàm scripto nituntur) in medio relictæ, quid tantùm officiant, non video, etiam si variæ inter se, dissidentésque sint. Nam & in locis depravatis adhiberi solent, ut damni jam nihil fiat: & ad veritatem aliquando perducunt, atque adeò perduxerunt, aut etiam ipsæ veræ sunt.

Sed neque illud obest, plurimos hodie huic operi manus admovisse. Si enim ubi complures diutiùs jaculantur, ibi accidit aliquando, ut aliquis signum feriat: cur non hîc etiam usu venire credamus, ut hoc, quod multi petant, quóque nervos ingenii sui contendant, aliquis assequatur? Vidi ego nonnullos, qui, quæ alii pro derelicto habuerint, ipsi, ut posteà ex vetusto aliquo exemplari cognitum est, sanaverint & illustraverint. Quo in genere, solertissimum cognovi Gabrielem Faernum, amicum meum; cujus ego, paulò ante extincti, aut potiùs ad meliorem vitam (eâ innocentiâ fuit) traducti, desiderium ferre vix possum. Hoc scripti ab eo libri in Terentium, Plautum, Livium, ipsum denique Ciceronem, testarentur, si foràs dati fuissent. Sed eos audio, apud studiosissimum bonarum artium adolescentem simúlque & clarissimum Cardinalem Carolum Buorromeum eo consilio servari, ut commodiùs edantur. Hic tamen licet perspicax fuerit, ad Octavii Pantagathi gloriam in hoc, sicut nec cæteris in rebus ac disciplinis, non pervenit. Hunc enim unum ex omnibus, in omni judicio politissimum & elegantissimum, sæpe mirari soleo: quem qui Varronem seculi hujus appellant, næ illi mihi visi sunt, quid maximè deceat intelligere. Sed, ut in pauca conferam, non est eorum hominum industria contentióque infringenda, quæ nocere nihil possit, juvare possit. Eorum tamen, si qui sunt, quos equidem nescio, licentia ferenda non est, qui ut uni sapere, & sui aliquid afferre videantur, recta etiam depravant: sed censeo tamen etiam atque etiam videndum, quæ illi prava, quæve recta vocari velint.

Nos quidem non pauca in his ipsis epistolis deprehendimus, speciem quidem præferre naturalis partus, sed adulterina esse, & subditicia. Deprehendimus autem hoc modo. Cùm enim ita statuerim, nihil ab hoc prudentissimo, omnibúsque & doctrinæ & naturæ præsidiis munito ad dicendum magistro, nisi perfectum, atque omnibus numeris absolutum gigni posse: sive ei meditatâ & elaboratâ, sive subitâ & fortuitâ oratione utendum esset: si quid in ea inveniatur nonnunquam, non dicam parum latinum, aut secum ipsum vel cum veritate pugnans, (nam id quidem piaculum, nedum stultum esset cogitare) sed involutum, inane, jejunum, frigidum, subinsulsum: illud sine controversia, mendo non carere: nec satis illud esse sententiam habere aliquam, cùm optima ab eo postuletur. Ergo in hoc casu, si quis locos id genus in dubium vocet, quod nos quandoque fecimus: is recta depravare existimandus non est: quin illi gratia habenda, ut bene merito: cùm recta, suâ se vi & veritate tueantur ac defendant, prava, nisi aperiantur, corrigi non possint. Omninò persuasum mihi est, antiquorum libros, erroribus carere non posse. Nam si M. ipse Tullius, se vivente, & propè dixerim, spectante, queritur suos libros, scriptorum negligentiâ corrumpi: quid nobis de his est sentiendum, post mille sexcentos propè annos, jam inde ab eo tempore, tot hominum manibus exscriptis: quibus,

ad

ad negligentiam, linguæ etiam imperitia accederet ? Equidem mirarer magis, portentíque ſimile ducerem, ſi integri ad nos ſinguli perveniſſent. Atque hæc calamitas, cùm ad omnium veterum ſcripta, tum hæc Ciceronis ad Atticum pertinuit, quæ malò quodam fato peſſimè accepta fuerunt, atque ita toto corpore diſcerpta ac deformata, *ut cùm nihil his candidius, purius, caſtius cogitari fas eſſet, jam miſerius, perditius, fœdius inveniri nil poſſet. Quo minùs fraudi mihi eſſe debebit, ſicubi videbor, quod multis annis ratum alii habuerunt, illud ipſe* quaſi reſcindere. Rationum momenta attendenda erunt, non illorum præcepta opinio, qui, miſerâ quâdam & importunâ religione impediti, dum ſcripturam defendunt in eáque omnia ponunt, fatua quædam nonnunquam, & à verâ ſententiâ diſcrepantia comminiſcuntur.

Ergo ut ad te aliquando me referam, Lector prudentiſſime, tute ipſe cum animo tuo reputes licet, quàm illi iniquè faciant, quámque de hominum genere malè mereantur, qui hanc ipſam emendandi rationem ac potiùs pietatem damnent, aut certè *non laudent : nunc mea mihi apud te cauſa agenda eſt contra eos, qui* cùm rem ſtudiúmque *non reprehendant, me tamen, qui jam inde ab adoleſcentia in cœnobio* degam, eámque vitæ *rationem* ſecutus ſim, quæ in dicendi exercitatione tantum operæ ponat, quantum ſibi ad honeſtiſſimarum artium perceptionem, ſenſuúmque noſtrorum explicationem, ſatis eſſe videatur : reliquos ſuos conatus & ſtudia, ad ſacrarum ſcripturarum intelligentiam vel referat, vel referre debeat : *ea nunc omnia*, in his facultatibus tractandis explicandíſque conſumere, quæ Chriſtianæ religionis nihil habeant, haud ſanè probent. Nam quòd hæc quidam noſtra contemnunt antè, quàm legant, aut ne legant quidem, ut hominis ex *eorum numero* hominum, quibus illi *fortaſſe* diſputandi facultatem ſcholaſtico *more inſtitutóque* concedant, ornatè dicendi *auferant : ſubtilitatum* Divi Thomæ, Scotíque & reliquorum claſſis ejuſdem tribuant, oratorum poetarúmque guſtum adimant : non valdè me perturbat. Equidem ſic ſtatuo, quod & ipſi, niſi nos ſtipites ac truncos eſſe velint, fateantur neceſſe eſt, noſtris ingenium nec deeſſe, nec defuiſſe unquam ; ſed ſui ordinis inſtituta ſtudiáque ſecutis, magna atque præclara, ſi in his minores apparent, ignoſcendum eſſe : dicendi gloriâ delectatis, non eſſe auctoritatem abrogandam : nec ex aliquorum infantia, de omnibus judicium faciendum. Sanè è familia noſtra, ut de reliquis taceam, *in ſuo quibuſque ſtudio nobiliſſimis*, unum atque alterum poſſim afferre, ne plures dicam, cum quibuſvis ætatis hujus eloquentiſſimis hominibus conferendos : qui ſi huc ſe rejeciſſent, nihil eſſet, cur ii noſtrum genus tantopere faſtidirent : ſed altiùs illi intuentur, majora divinioráque ſpectant, quæ neque nos unquam negleximus, ídque nos aliquando declaraturos ſperamus : ſed alia quædam ratio, non injuſta quidem, aliò nos traduxit : quam ſi tibi probare velim, candide Lector, ut honoris mei cauſâ ſanè cupio, vetuſtior mihi memoria repetenda eſt. Namque ab hinc annos paulò plus duodecim, cùm optimum & clariſſimum virum Nicolaum Rodulfum Cardinalem patronum meum, decus & ornamentum ordinis illius, Balneariam ſecutus eſſem : quò ſe ille quotannis, prolatis rebus conferebat : non modò, ut æſtivos calores Romanæ urbis declinaret (eſt enim locus ille umbroſus & ſalubris, fluentéſque & gelidas habet aquas, atque eas uberrimas, illius operâ, in latiſſimum vivarium primùm exciſo monte, inde in oppidum, ædéſque adeò ipſas deductas : ut alſius, venuſtius, ſuavius eſſe nihil poſſit) ſed etiam, ut aliquando ſibi ab arbitris & quotidiana interpretatione remoto, liceret vivere : cúmque ibi pomeridianis horis, cùm ſe jam calor paululum fregiſſet, hoc ipſum epiſtolarum volumen ſtrictim attingeremus, egóque ut ſunt hominum ſenſus diſpariles, ab iis, qui inſigne aliquod in eas ingenii ſui monumentum reliquiſſent (omnes enim habebamus) alicubi diſſentirem : & ne hoc uno ſtudio tantùm delectatus viderer, periculum aliquando ipſe facerem, num loca ab eis vel neglecta, & quaſi percipi non poſſent, depoſita & deſperata, vel emendata quidem, ſed non ita, ut ſibi ipſi ſatisfacerent, ipſe aperire, in meliorémque formam, vel exemplarium, quæ tum pauca habebamus, auxilio, vel ingenii vi, cujuſmodi in me eſſet, reſtituere poſſem : atque ea eſſent non pauca : placuit eidem

patro-

patrono meo, ut literis consignarem. Itaque toto illo calorum tempore, quinque libros confeci. Sed heu, mens hominum, heu venturi nescia fati! cùm redissemus in urbem, ecce fulmen: Paulus Farnesius Pontifex Maximus, quem propter immortalia in omne hominum genus beneficia, æquum erat, nostrísque rationibus conducebat, esse immortalem: sed is tamen cùm suum diem obiisset, extremúmque vitæ spiritum edidisset, haud ita post, & patrono ipsi meo, dum Patrum Senatus ad novi Pontificis creationem convocatus esset, réscque, ut sæpe accidit, longiùs duceretur: repentina quædam vis morbi, in optima spe altissimi gradus civitatis, vitæ finem attulit, & studia illa nostra restinxit. Quapropter annos aliquot, literam eo in genere nullam fecimus. Nam, etsi in his indormire non planè soleo, attamen hominis illius nutus & significatio, quantam mihi facem admovebat? Tantam scilicet, quantam decuit admovere eum, de cujus egregiâ erga me voluntate, certa sæpe pignora cepissem? quíque literatos homines, & insigni aliquâ arte ornatos, quos ille domi, non inani quadam specie, auráve populari, quâ plerosque duci non ignoramus, sed veritatis virtutísque amore incensus, complures haberet, summísque honoribus ac præmiis afficeret: ipse, cum liceret per Rempublicam, nullam penè horam amitteret, de rectis studiis, cum iis vel loquendi vel meditandi. Fuit omninò vir ille, cui passim omnes testimonium moderati, & ad honestum otium nati animi, sine controversia darent: fortis etiam & prudentis, qui eo familiariùs uterentur: quo id minùs testari orbis terrarum posset, quidam hominum fraudem & perfidiam (nam reliqua satis prolixa videbantur) accusant: nos fata tantummodò, aut potiùs inscrutabilem summi numinis voluntatem, causam fuisse judicamus. Esset hîc forsitan locus, casum hominis vicémque deplorandi, nisi tanto intervallo verendum esset, ne non modò importuni, sed etiam inepti videremur. Quare, abeat ille optimis ominibus, nos ad institutum sermonem revertamur. Hanc dicimus cessandi nobis causam, complures annos fuisse: quoad jussu doctissimi & gravissimi viri Marcelli Cervini tum Cardinalis, in cursum revocati sumus. Jámque opus ad finem penè perduxeram, cùm ille Pontificatum cepit. Sed, ut sunt res hominum fluxæ atque incertæ, antè ereptus est è vitâ, quàm quid esset agnoscere, ut ita dicam, posset. Ergo ut hæc rursum abjicerem ac damnarem, cùm acerbum hominis fatum, tum consecuta nostra tempora, quibus usque adeò vexati fuimus, vix ut consistere potuerimus, effecerunt.

Verùm, quò hæc nostra tam longa spectat oratio? ut si quis fortè in persona hominis sacerdotis, studium hujusmodi, quod quidam profanum solent appellare, reprehendat, huic nos duos præstantissimos sacrorum, religionis, ceremoniarúmque antistites, quorum de sententia & auctoritate rem suscepimus, opponeremus: quibus omnino impium fuit hominibus sanctissimis non obtemperare & obsequi. Quanquam, si hoc quidem vitio datur, eripiatur è sacerdotum manibus vel Aristoteles ipse: abjiciatur vel Plato: quorum neuter, omnium bonorum sententiâ, nec scriptor gravior aut religiosior: nec civis integrior, aut honestatis, temperantiæ, justitiæ, constantiæque retinentior. Divum certè Augustinum, Christianæ Reip. columen, insignique doctrinâ & pietate præditum, non puduit fateri, & literarum quoque monumentis testatum relinquere, se, viri hujus lectione, principio mentem avertisse à mundo, & ad Deum erigere sustolleréque cœpisse. Sed quid ago? Quasi non hæc in eis culpari soleant, qui posthabitâ curâ sacratissimorum librorum, in his versentur tantummodo & acquiescant. Quod equidem ego pro vitæ meæ ratione, ne mihi posset objici, etiam atque etiam cavi. Nam ne tum quidem, cùm huic uni rei maximè studerem, diem ut præterirem commisi, sine linea: quin idem mihi dies finem penè attulit eorum studiorum, qui & viris illis vitæ. Itaque jacuerunt hæc dein in tenebris, & jacerent adhuc, (neque enim ego ea multum amabam) nisi amicorum, quos complures habeo eruditissimos, non modò vocibus, sed quodammodo etiam conviciis, in aspectum lucémque evocata fuissent, & quasi ab Orco excitata. Quâ in re (fatendum est enim) plurimum apud me valuit, eximiâ spe, summæque virtutis adolescens Alfonsus Cardinalis Carafa: quem ego cùm ad reliqua studia præclarissima, tum ad dicendi

gloriam

gloriam ita incitatum vidi ; ita magnos progreſſus jam feciſſe, ut aliis diſciplinis avitum nomen æquaturus eſſe videatur, dicendi laude, etiam ſuperaturus. Et ſanè apud me, eò etiam pluris eſſe illius auctoritas debuit, quòd tota natio familiáque noſtra, in ejus fide jamdiu clientelâque ſit : ut ſuo etiam jure quodammodo, ut patronus imperare potuerit. *Ii ergo auctores mihi fuerunt, ut hæc emitteremus : quibus haberi gratiam volumus, ſi hoc induſtriâ noſtrâ aſſecuti ſumus*, ut ex parte aliquâ, ſtudia juventutis juvaverimus : ſin minùs, ignoſci tamen facilitati meæ, qui officio monitus, illorum obſequi voluntati maluerim, quàm exiſtimationi meæ. Me tamen res una illa conſolatur, quòd multis ſæpè argumentis didici, paria in his momenta & integritatis animi, & judicii reperiri : ut nec aliter ac ſentiant loqui, nec ſentire niſi egregiè ac ſapienter potuerint. At, propè eſt, dicat aliquis, ut eam tibi laudem tribuas, quam neſcio an quiſquam nemini : ut nihil offenderis, nihil titubaveris. Nequaquam verò : neque enim uſque adeò inſanio : ſed fateor me, *ut non pauca rectè excogitare, ita non rarò etiam, ut fert hominum natura, in ſaxum ut dicitur impingere, & exiſtimatione falli potuiſſe : ſed tamen illa ipſa, quæ rectè dici viderentur, viros illos in* eam mentem induxiſſe, ut me ad editionem hortarentur.

Satis jam mihi videor, cauſam tibi meam probaſſe, Lector candide, adversùs eos, qui in meâ perſonâ, hæc ſtudia non ferant : reſtat ut fidem moréſque meos probem. Sunt enim qui emendatores in hanc calumniam vocent, ut eos dicant, quo ſuis opinionibus fidem faciant, falsò nonnunquam vetuſta exemplaria laudare, contentos confusè atque permixtè dicere, Quidam libri ſic, aut ſic habent. Nos ergo quo eam fugeremus, nunquam aut perrarò *hoc* modo noſtra confirmamus : *& tamen ſi quando accidit, unum aut plura ex his intelligi volumus*, quæ nominatim appellavimus. *Undecim* verò habuimus, ex quibus *quinque* cum vulgatâ Manutii atque etiam *Victorii* editione, diligentiſſimè conferentes, à carceribus. ut dici ſolet, ad calcem uſque percurrimus : nempe Faërni duos : quorum unum, Romanum exemplar appellare ſoleo, quòd ſub id tempus Romæ impreſſum fuerit, quo hæc typis excudendi ars, divinitùs eſt inventa : alterum Faërni ipſius nomine, valde probum & antiquum : quos ambos apud eos eſſe arbitror, qui librorum ipſius fuerunt heredes. Guidonis Lolgii item duos : unum manu Poggii Florentini (ita enim in fine *libri legitur*) deſcriptum, ab editione *Victorii*, ſive Græca ſive Latina ſpectes, non magnopere diverſum : alterum recentiorem, quem librum Lolgii ubique, ut illum Poggii voco, quos qui volet (ea eſt hominis humanitas) arbitratu ſuo poterit inſpicere. Quintum è Bibliotheca Dominici Grimani Cardinalis accepi, quam vir ille clarus & magnus, in noſtris ædibus Antonianis Venetiis exædificavit, omniúmque librorum copiâ & varietate inſtruxit atque ornavit : quæ nemini clauſa eſt, inviſere volenti. Hos ergo quinque in poteſtate habui, totóſque cum totis ſyllabatim faſtidioſéque contuli : reliquos ſex, quòd nihilo meliores comperiebam, prout res tulit, conſului potiùs aliquando, quàm legi : in quibus tres fuerunt doctiſſimi viri Bernardini Maffei Cardinalis, quos penes heredes reperire licet : unus Cardinalis mei, qui poſt obitum illius, cum reliqua optimorum librorum bibliotheca, in manum venit clariſſimi Imperatoris & fortiſſimi hominis Petri Strozæ, non minùs latinis græciſque literis, quàm animi magnitudine, quâ cæteros ſuperavit, præcellentis : quàm omnem bibliothecam, audio Philippum filium, cum reliqua cùm pecuniarum, tum virtutum paternarum hereditate creviſſe. Reliqui duo libri, alter apud Octavium Pantagathum erat, cujus ille mihi copiam, quotieſcunque volui, ultrò fecit : quem tamen aiebat fuiſſe, eruditiſſimi viri, & innocentiſſimi Epiſcopi, Antonii Auguſtini : de quo verè hoc tempore affirmare poſſumus, quod ſuo de Q. Scævola dixiſſe Craſſum, M. Tullius ſcribit : eſſe illum Juriſperitorum eloquentiſſimum, & Eloquentium juriſperitiſſimum : alter in noſtris ædibus Divi Servatoris Bononiæ, in locuplete & ornatiſſimâ Bibliothecâ : quem ego ea præteriens, aliquot in locis, ut fit, nullo ordine attigi. His ergo omnibus uſus ſum : quos ego, quorum in manu eſſent ſignificare volui, ut, ſi cui

fides noſtra in ſuſpicionem veniret, is haberet unde eam poſſet deponere. Nos certè ut à culpæ conſcientiâ abſumus, ita omni ſuſpicione mendacii carere volumus.

Emendationum verò & *ſuſpicionum* inſcripſimus: ne eodem loco videremur habere & quæ ex ingenio, & quæ ex veruſtis libris reſtituta ſunt. Nam cùm ſciam, ſcriptum, imaginem eſſe ſcriptoris voluntatis, hæc atque illa, in æqua lance non pono: ſed correctiones & conjecturas, his divinationibus præfero, quas nobis ipſi formamus: ſi & Cicerone dignæ illæ ſint, nec hiſtoriæ ſententiæve repugnent. Ita enim judicium ſequi malo. Siquidem ob eaſdem cauſas, unius libri auctoritatem, multorum ſæpe conſenſione, potiorem antiquioremque ducimus. Et tamen ubique ferè aſſenſionem ſuſtinemus: noſtrarúmque omnium exiſtimationum, doctorum hominum judicium eſſe volumus. Unde factum eſt etiam, ut cum his noſtris vigiliis, epiſtolas ipſas, de integro ne excudendas curaremus: ſed poſtremam editionem Manutii, epiſtolarúmque ſectionem omnem ſecuti penè ſimus: lectores monentes tantummodò, ſi quid aliquando vel aliter ſcriptum in meis exemplaribus inveniretur, vel meliùs à nobis excogitatum videretur. Nam ſi undique purgata eſſet, vitiíque nihil haberet, inanis & ridiculus fuiſſet conatus hic noſter. Nunc verò, non paucis adhuc mendis inquinatam accepimus: atque ita dimittimus, ut campus aliis quoque relictus ſit (vellem ereptum) ubi ingenium induſtriámque ſuam atque vires exerceant. Nobiſcum præclarè actum videbitur, ſi poſſimus dicere, ut quando omnem non valuimus, aliquâ ex parte meliorem reddiderimus. Quâ quidem in re, ſæpe mihi Octavius Pantagathus, oraculum, ut ſic dicam, meum, ſubſidio fuit: ſæpe Donatus Jannoctius; ad quem, dum Nicolaus Rodulfus vitam ac ſpiritum duxit, nóſque unà fuimus, ſi quid deliberationis egeret, referebam: hominem acri certóque judicio: quod teſtatum eſſe volui ad memoriam ſempiternam. Studioſos autem bonarum artium oratos velim, ut ſe nobis benignos æquóſque præbeant: ut ſi non pauca commodè dixiſſe videbimur, ne quod non potuimus reprehendant: &, ſi quâ in re, ut neceſſe eſt, offendimus, id tanti ne ſit, ut illa etiam quæ forſitan ſint laudanda, obſcuret & obruat. Sanè quidam hodie iniquiſſimè faciunt, qui in alienis laboribus, vitia acutiſſimè videant; & magnâ voce pervulgent; ad recta conniveant: ac perpetuo ſilentio involvant: tantum ſuæ laudi, demptum exiſtimantes, quantum cedant alienæ. Illud admonendum videtur, nos officium quidem correctoris, ſed ſicubi quid mihi aut mei ſimilibus, dilucidum minùs eſt viſum; vel ab aliis omiſſum: (neque enim actum agere volebamus) vel aliter ac mihi videretur explanatum: etiam expoſitoris executos eſſe. Argumenta in libros ſingulos earum rerum, quæ hiſtoriam tantùm illorum temporum, non etiam res privatas domeſticáſque contineant, confecimus: moniti in primis, Cornelii Nepotis verbis, quæ ſunt in vita Attici, de eo ſic ſcripta. *Quanquam eum præcipuè dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit, aut familiarior. Ei rei ſunt indicio, præter eos libros in quibus de eo fecit mentionem, qui in vulgus ſunt editi, ſexdecim volumina epiſtolarum, ab Conſulatu ejus uſque ad extremum tempus, ad Atticum miſſarum. Quæ qui legat, non multùm deſideret hiſtoriam contextam eorum temporum. Sic enim omnia de ſtudiis principum, vitiis ducum, ac mutationibus Reipublicæ perſcripta ſunt, ut nihil in his non appareat; & facilè exiſtimari poſſit, prudentiam quodammodo eſſe divinationem. Non enim Cicero ea ſolùm quæ vivo ſe acciderunt, futura prædixit, ſed etiam, quæ nunc uſu veniunt, cecinit ut vates.* Hæc ille; quæ huc eo libentiùs tranſtuli, ut ad horum lectionem librorum, animatus vehementiùs ſis Lector, unde intelligas te, non modò eloquentiam, latiníque ſermonis puritatem, ſed prudentiam quoque & ſapientiam poſſe referre. Atque hic mihi modus finíſque ſit præfationis meæ.

Anno MDLXIII.

Simeo

Simeo Bosius *Lectori.*

USus sum in his epistolis emendandis tribus exemplaribus manuscriptis; quorum duo antiquissima erant & optima, Tornæsianum, ex cujus fide plæraque integritati suæ restituit Lambinus, quæ erant anteà valde depravata: & Decurtatum, quod ipse ante annos quindecim à gregario quodam milite cum aliis aliquot libris calamo exaratis comparavi, ex bibliothecæ cujusdam sacræ direptione, tamquam è periculosissimo naufragio, servatum. Id autem plurimis in locis emendatiùs scriptum reperi quàm Tornæsianum. Quanquam erant in eo multa lacera, deerántque alicubi integræ paginæ, totique ultimi duo libri. Quâ de causâ codicem eum Scidas, aut Decurtatum appellare soleo. Tertium mihi præbuit ornatissimus doctissimúsque vir Erricus Memmius, secretioris consilii Regii consiliarius, qui eum à clarissimo viro J. Huralto Boetalerio utendum acceperat, ut ejus mihi copiam faceret: quo libro usum etiam Lambinum video. Sed is, ut non tam vetus erat, quàm superiores illi duo, ita scripturæ integritate multum illis cedebat. Adjutus sum præterea codice quodam excuso Lugduni, qui olim fuerat Petri Crusellii, medici apud nostrates celeberrimi; ad cujus libri oras doctus ille vir varias lectiones appinxerat, à se, ut ipse dicebat, diligentissimè, & summâ fide è vetustissimo, & castigatissimo libro Novioduni descriptas. Horum igitur librorum fretus auxilio, infinitas propemodum maculas ex his epistolis absterси, &, quantum in me fuit, lumen obscuris multis locis attuli. Sed de toto hoc studio, operâ, industriáque nostrâ judicium penes lectorem esto.

De ordine epistolarum, quæ his libris continentur, hoc semel dictum volo: quicunque eas primùm digessit, ut hodie leguntur, eum non servasse temporum rationem quo scriptæ fuerunt. Verum quia non alio ordine extant in libris antiquis, quàm in vulgatis, hunc errorem potiùs ferendum duxi, quàm ex opinione quicquam mutandum.

Joannes Georgius Grævius *Lectori.*

HAbes hîc sedecim Ciceronis ad Atticum epistolarum volumina, quæ partim per diritatem temporum, partim per fatorum insignem illum bibliopolam, Danielem Elsevirium, qui illorum editionem suis typis procurandam susceperat, nobis eripientium acerbitatem, diutiùs aliorum spe, nostrísque votis inter operarum manus fuerunt jactata. Quam rationem in iis edendis secuturus fuerim, declaravi dudum in proœmio, quod præfixum est illis, quæ dicuntur ad Familiares scriptæ. Ipsum Ciceronis contextum maximè composui ad Petri Victorii, cui Cicero præ cæteris salutem debet, editionem postremam, quæ Florentiæ prodiit apud Juntas M. D. LXXI. Hanc, cùm rarissima sit, & à paucis in his terris vita, mecum communicavit magnum illud non Etruriæ solius, sed Europæ decus, omnium eruditorum amor ac deliciæ, Antonius Magliabechius, cujus bene de omni doctrinâ, & quicunque dignitati ejus tuendæ serviunt, merendi studium ut nunquam satiscit, sic nec laus ejus, omnium ore celebrata, sed omni præconio major, unquam conticescet. Post Victorium, Ciceronis & multorum aliorum præstantium scriptorum Æsculapium unicum, quamvis multi, iique primarii in republicâ literariâ viri, Paulus Manutius, Sebastianus Corradus, Leonardus Malaspina, Dionysius Lambinus, Fulvius Ursinus, in istis epistolis integritati restituendis, adhibitis omnibus ingenii, doctrinæ, industriæque præsidiis, elaborarint; nemo tamen plus opis ad præclaram hanc rem contulit, nemo plures fœdioréisque maculas delevit, & plura dilucidavit obscurissima loca, quàm Simeo Bosius Lemovicum prætor eruditissimus, usus tribus optimis codicibus vetustis. Ingenio is erat acuto, sed nimis ingenio suo favebat & indulgebat, conjecturas non paucas, quas ex

corruptis & exoletis membranarum veſtigiis faciebat, ipſi Tullio ſupponens, invitis Muſis & Gratiis, quæ pudorem in primis requirunt in iis, qui antiquorum ſcripta recognoſcunt & interpretantur. Exceſſit medicina modum. Remedia vulneribus ipſis ſunt graviora. Si ſuas de locis depravatis cogitationes in annotationibus ſubjectis exponunt, nemo reprehendit: ſed ſi ſuſpiciones ſuas pro genuinis ſcriptorum dictis venditant & inculcant, meritò damnantur à cunctis, qui reverenter habent iſtas venerandas priſcæ ſapientiæ & doctrinæ tabulas, quæ emerſerunt ex illo fœdiſſimo naufragio. Admiſi ego quæcunque librorum antiquorum fide refinxit Boſius egregiè; conjecturas meras & ipſius & aliorum, niſi Euclideâ quadam ratione firmentur, ut ne Pyrrho quidem de iis dubitare poſſit, rejeci, maluíque cum Victorio corruptam veterum codicum ſcripturam retinere, quàm noſtrorum hominum commenta Tullio ſubdere. Miror Janum Gruterum, naris emunctæ ſenem, in ſuâ Ciceronis editione, quam meritò magni faciunt omnes, in his epiſtolis ad Atticum ne latum unguem à Boſio diſceſſiſſe. Ego quidem probo plurima in Boſio, ſequor diviſionem ejus epiſtolarum, pulcherrimas emendationes ex optimis libris depromptas arripio, ſed audacem nimis interpolationem, nullâ ſuffultam librorum auctoritate, probare non potui. Præter notas, quas ipſe juris publici fecit Boſius, leges hic nonnullas ineditas antè, quibus priores auxerat ſuâ manu. Eas excerpſit, & mihi miſit civis Boſii, Stephanus Baluſius, non minùs candore & diligentiâ in eruendis antiquis Eccleſiæ Chriſtianæ monumentis, quàm ſolertiâ & doctrinâ in iis illuſtrandis ubique gentium celebris. Vellem in Baluſii manus incidiſſent quoque, quæ Boſius paucis diebus ante mortem ei à ſceleratiſſimis hominibus clam illatam, ad amicum ſuum Ludovicum Carrionem, ſe notis ſuis adjeciſſe ſcripſit, teſtatus ſe epiſtolas ad Atticum, relegiſſe & recenſuiſſe, multa addidiſſe, quæ præterierit, in quibus hæc haut inſcita, necdum à quoquam ſatis intellecta, de perſcriptionibus, plurium nominibus, & parariis; de ſervorum, qui populo placuerant, coactâ manumiſſione, de gentis populis, de matrum teſtamentis ante Sc. Orphitianum: de legibus viariâ & alimentariâ Curionis: de prædiatoribus: de Ἡρακλειδῷ Ciceronis: de Varronis πίνακι: & alia, ut ex ejus literis prodidit Carrio in Emendationibus. Sed hæc fruſtrà optamus. In libri primi prioribus ſeptemdecim epiſtolis videbis non paucas annotationes magni Iſaaci Caſauboni, nunquam antehac in publico viſas. Mompelii cùm literas politiores promitteret, publicè interpretatus eſt epiſtolas ad Atticum. Acroaſes has in paucas illas, quas dixi, meæ fidei per Cl. V. Jacobum Gronovium commiſit non multis ante beatum ſuum deceſſum menſibus filius patre tanto digniſſimus, meique, cùm ſupereſſet, ſtudioſiſſimus, Mericus Caſaubonus. Ex iis delibavi, quæ cæterorum interpretum ſtudium & ſolertiam fugerant. Quòd ſi in alios libros incomparabilis viri notas nobis non invidiſſet fortuna, magna lux, magnum ornamentum acceſſiſſet huic editioni. Nam quæ fuerit capitalis illius ingenii excellentia, quæ doctrinæ latiſſimè diffuſæ varietas & copia, nemo ignorat niſi hoſpes in literis, nemo negat niſi livore perditus: quod verò fuerit ejus in his epiſtolis evolvendis ſtudium, mihi fidem fecit editio Boſiana, quam detriverat, & cujus margines implerat rerum, quas in iis ſcitu dignas obſervarat, annotatione. Ejus copiam mihi fecit vir itidem eximius, καὶ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, E. Bernhardus, Matheſeos Oxonii Profeſſor celeberrimus, probitate, doctrinâ, multíſque aliis dotibus mihi, & qui eum norunt, (quis autem paulùm humanior eum non norit?) cariſſimus. Ex hoc quoque libro invenies ſubinde notarum iſtarum penu inſtructum eſſe. Bernhardi liberalitati debeo præter hæc editionem Lambini omnium Ciceronis operum Argentoratenſem, quam cum veteri codice commiſit ὁ πάνυ Petrus Pithœus. Quid dicam de ſymbolis pulcherrimis, quas ad harum epularum apparatum contulit ſummus ille doctor meus, Joannes Fredericus Gronovius ὁ μαγκείπης? Adoleſcentibus interiorum literarum cupidis epiſtolas has explicarat domi, multáque in illis, quâ erat ſagacitate & ingenii perſpicaciâ viderat, aliis aut inviſa, aut malè viſa. Ea ne deſideres benignitati filii, Jacobi Gronovii, ingenii doctrinæque laude paterni nominis gloriam propagantis, accepta feres. Nec hæc ſola, ſed & veteris codicis Anglicani, quem cùm adoleſcens beatam illam

illam insulam perlustraret, in Balliolensi Collegio reconditum & ignotum invenit, & cum Michaelis Bruti editione Lugdunensi composuit, varias lectiones. Hîc est codex Balliolensis, quem toties laudo, & qui mihi plurimum profuit in his literis perpoliendis. Ei accesserunt excerpta codicis Academiæ Juliæ, quem Helmstadiensem appello: quémque vir amplissimus & doctissimus Lucas Langermannus, cùm ibi ad capessendum ingenii cultum in primo ætatis vere degeret, cum editis contulit. Nec sine ingratæ voluntatis notâ præteriri potest illustrium Falconeriorum fratrum, Octavii & μαικηνάτε & Pauli beneficium, quo me, & Tullii studiosos devinxerunt, cùm Mureti notas, quas apposuerat editioni Roberti Stephani, jusserunt describi, & ad me curari. Eas passim cæteris adspersas reperies. Vides quantum æris alieni contraxerim in adornandâ hâc editione. Quæ si tibi probabitur, satis magnam gratiam sibi persolutam existimabunt, qui nobis commodarunt; ego verò satis magnum laborum tulisse fructum existimabo. Vale, cæteráque Tullii opera, si Deus vitam & otium indulserit, expecta.

Anno M. DC. LXXXIII.

Josephus OLIVETUS *Lectori.*

PRæfationum hoc satis esse arbitror, ut ejus generis ne quid à me confici oporteat: sed erant tamen nonnulla, quæ breviter & articulatim proponerem.

I. Grævii diligentia cùm fuerit magna in omnibus, quæ attigit, Ciceronis operibus; tum verò in Epistolis ad Atticum, *singularis*. Ac mihi quidem locupletandæ hujus editionis subsidia undique omnia conquirenti, nihil admodum, quod Grævium fugerit, oblatum est. Nisi fortè aliquid putatur esse *Antonii Goveani in duos primos libros Commentarius*, in lucem missus Lutetiæ MDXLIV. At illic ita nihil est, quod non alibi meliùs; ut à Grævio neglectus videri potiùs debeat, quàm ignoratus.

II. De posterioribus Simeonis Bosii *Notis*, quas primus vulgavit Grævius, hoc dicere habeo. Bibliothecam in Regiam è Colbertinâ migravit codex, qui eas continet. Frons hoc præfert inscriptum: *Ea, quæ in margine adscripta sunt, descripta fuere ex autographo V. C. Simeonis Bosii, qui ea addiderat in suo editionis istius exemplari. Stephanus Baluzius Tutelensis descripsit Ratiasti Lemovicum VIII. Kal. Augusti, M. DC. LXVI.* Hujus igitur codicis factâ mihi copiâ, additamenta illa lustravi diligenter: lectionum varietates (vix quidquam aliud) offendi: probaret Bosius, an improbaret, nullum indicium. Cùm tamen usus esset Grævius exemplo non bene emendato, hanc ego sumpsi operam, omnia ut conferrem. Sic recognita suis quæque locis inseram, cum hâc subscriptione BOSIUS BALUZIANUS, quâ significetur, ea, quibus adjuncta sit, non ex Bosianis olim editis, sed ex illo, quem dixi libro, petita esse.

III. Quoniam de variis lectionibus cœpi dicere, hoc non omittam. Quas, ut institutum est meum, dabo VICTORII signatas nomine, non suppeditavit illa operum Ciceronis omnium Veneta editio MDXXXVI, sed Florentina MDLXXI, in qua reparator ille Ciceronis, ac vindex, industriæ monumentum suæ, & criticæ, ut ita dicam, religionis esse voluit.

IV. Haberi possim, quod esse nolo, immemor & ingratus, nisi prædicem, quantum Nicolao Huberto Mongalto debeam, qui elaborandâ eâ, quâ sermonem patrium ditavit, epistolarum ad Atticum interpretatione elegantissimâ id assecutus est, ut in illis acutiùs Grammaticis omnibus sæpissime cerneret. Equidem opus laudo, quoniam esse ipsum laude dignissimum judico. Quoniam autem ejusmodi est, ab amico esse ac sodali profectum gaudeo, & Academiæ Francicæ, cujus fovemur ambo in sinu, gratulor.

V. Restat, ut adumbratam historiæ totius, quam hæ literæ complectuntur, informationem habeamus. Quamobrem collecta hîc statim dabo argumenta librorum XVI, quæ Leonardus Malaspina singulis singula præfixit.

LIBER I.

Libri hujus epistolæ partim ante consulatum Ciceronis, partim post consulatum

ſcriptæ ſunt. Nam totò conſulatûs illius tempore Atticus Romæ fuit, omnium conſiliorum & actionum ejus monitor, adjutor, & adminiſter. Porrò illæ, quæ conſulatum antecedunt, quæ ſunt numero novem, nimirum uſque ad eam quæ incipit, *Teucris illa*, nihil ſanè continent quod ad hiſtoriam magnopere pertineat. Conſequentes verò, uſque ad epiſtolam, *Nihil mihi*, M. Meſſalâ & M. Piſone Coſſ. datæ, primùm, rem Clodii narrant, ut domi C. Cæſaris cum veſtitu muliebri deprehenſus fuerit, cùm pro populo fieret; totúmque de re illâ judicium, quo non modò præter fas & æquum, ſed etiam præter omnium hominum opinionem, abſolutus fuit: deinde, quàm mortuo plauſu populus Romanus Pompeium exceperit è nobili illâ Aſiaticâ expeditione redeuntem. Nam cùm nobiles homines, in iis L. Lucullum cum primis, haberet infenſos: illos, quia hominis potentiam ægrè ferrent, adeò creviſſe, ut jam formidabilis poſſet eſſe; hunc, quia erepti ſibi triumphi de Mithridate, jam ferè debellato, hæreret memoria: non modò obtinere nunquam potuit ut acta ſua à populo confirmarentur, déque militum præmiis decerneretur: ſed ne illud quidem, ut rebus ab ſe geſtis recitandis plauſus ex animo daretur. Atque id eſt quod ait epiſtolâ XII: *Prima concio Pompeii qualis fuerit, ſcripſi ad te anteà: non jucunda miſeris, inanis improbis, beatis non grata, bonis non gravis.* Quæ quidem res omnium, quæ deinceps ſecuta ſunt, malorum fons & origo fuit. Nam quod nec per Meſſallam & Piſonem primo anno, nec per Metellum & Afranium, ex quibus hunc omnibus invitis per largitionem & ambitum, quo acta ſua confirmarentur, creandum curaverat ſequenti anno: quod per Flavium Tribunum pleb. ut lex agraria perferretur, impetrare non potuit: coitione factâ cum Cæſare & M. Craſſo, anno tertio obtinuit, Cæſare in primis Conſule declarato. Tres ultimæ epiſtolæ, Q. Metello Celere, L. Afranio Coſſ. miſſæ ſunt: quorum conſulatu de Clodio ad plebem traducendo agi cœptum eſt. Quare ſi ratio temporum ſubducatur, intelligemus tam paucas libri hujus epiſtolas, annis ampliùs octo ſcriptas fuiſſe: nempe à Conſulatu minimùm L. Cæcilii Metelli Cretici, & Q. Marcii Vatiæ, qui ædilitatem Ciceronis ſtatim ſecutus eſt: uſque ad eos quos proximè diximus Coſſ. Scitè autem Manutius primas epiſtolas diſtribuiſſe videtur, & quaſi in ſuum locum ſingulas revocaſſe; ut nullo negotio, quando primùm inter eos initium ſcribendi factum eſt, cognoſci poſſit.

LIBER II.

Duæ primæ libri hujus epiſtolæ, ſcriptæ ſunt, item ut ultimæ ſuperioris, Q. Metello Celere, L. Afranio: reliquæ omnes, C. Julio Cæſare, M. Bibulo Coſſ. menſibus ferè XVII. Continent verò contentionem Clodii, ut Tribunus pl. fieret: quod demum obtinuit, Cæſare adnitente; cujus item operâ, quo magiſtratum illum capere poſſet, plebeius factus eſt. Nam Ciceroni iratus, *quòd quodam in judicio ſtatum temporum deploraſſet, ejus inimicum Clodium, fruſtra jam pridem à patribus ad plebem tranſire nitentem, eodem die, horáque, novâ lege de adoptione ejus latâ, traduxit.* Auctor eſt Suetonius. Idem hoc ipſo anno, agrariam legem pertulit, contradicente Catone: quem eâ de causâ è ſenatu abreptum in carcerem duci juſſit, invitis optimatibus, & collegâ: quem obnuntiantem, armis foro depulit; ſéque domeſticis parietibus, reliquo anni tempore, continere coëgit; ut, niſi per edicta, prorſus nihil ageret: quæ tamen ille acerbiſſima in collegam proponebat; híſque comitia in menſem Octobrem diſtulit. Perlatâ igitur lege, XX millia hominum, qui tres pluréſve liberos haberent, in campum Stellatem majoribus conſecratum, ut Tranquillus ait, in agrúmque Campanum, ad ſubſidia Reipublicæ vectigalem relictum, induxit. Publicanos à Catone vexatos, remiſſionem petentes, tertiâ mercedum parte relevavit. Et ut in quoſdam diverſæ factionis cives ſævire poſſet, Vettium quendam præmiis adduxit, qui ſe ab illis, de inferendâ Cn. Pompeio nece ſollicitatum diceret: quamvis irrito conatu, propterea, quòd unum atque alterum, fruſtrà, nec ſine ſuſpicione fraudis, nominaverit. Quare tam præcipitis conſilii eventum deſperans, intercepiſſe veneno indicem creditus eſt. Hæc ferè in hoc ſecundo libro continentur ad Rempublicam ſpectantia. Alia, privata ſunt.

LIBER

Liber III.

P. Clodius ope Cæsaris Consulis, Tribunus pl. declaratus, ut magistratum iniit, illud unum spectavit, ut M. Tullium inimicissimum suum ulciscereturet. Itaque duabus legibus, quarum alterâ frumentum, quod antea semis æris ac trientibus esset in singulos modios, gratis dabatur: alterâ non solùm collegia, quæ senatus sustulerat, restituta sunt, sed nova etiam ex omni vulgi fæce atque servitio constituta. Plebis voluntate sibi adjunctâ rogationem promulgavit contra eos, qui sine judicio populi, civem Romanum necavissent, quæ tametsi cum nullo nominatim agebat, nemo tamen dubitabat, quin Ciceronem peteret, qui in suo consulatu, quanquam ex senatusconsulto, tamen injussu populi, contra leges in cives animadvertisset. Id cùm agi videret Cicero, mutavit vestem, & cum eo, velut in communi calamitate, ad hominum xx millia. Verùm cùm se à Cn. Pompeio, M. Crasso, Caióque Cæsare destitutum videret, ne suâ causâ cædes civium fieret, invidorum, ut ipse palàm queritur, consilio, circiter Calendas Aprilis, urbe cessit, Gabinio & Pisone consulibus: domus ipsius à Clodio statim incensa: area Libertati consecrata: bona publicata: prædia direpta sunt: lex de ejus exilio perlata: eique aquâ & igni interdictum: & ne quis tectum intra quadringenta millia passuum ab Italiâ præberet: ne quis de eo ad senatum referret: ne decerneret: ne disputaret: ne loqueretur: ne pedibus iret: ne scribendo adesset, ut in oratione post reditum in senatu & pro domo legitur. Ille ergo in Macedoniam transmittens, Thessalonicæ apud Cn. Plancium, toto ferè illo exilii tempore mansit: unde, præter paucas ex itinere missas, omnes ferè libri hujus epistolæ datæ sunt.

Liber IV.

Hoc libro, quatuor annorum epistolæ continentur. Tres primæ P. Lentulo Spinthere, Q. Metello Nepote: quinque consequentes, Cn. Lentulo Marcellino, L. Philippo: post has, totidem Cn. Pompeio Magno II. M. Crasso: reliquæ usque ad finem, Ap. Claudio Pulchro, L. Domitio Ahenobarbo Coss. scriptæ sunt. Necesse est autem aut eas unà fuisse, aut non plures ab eo, qui epistolas congessit, inventas. Primæ igitur, reditum Ciceronis continent: qui fuit prid. Non. Septembris, duodevigesimo mense, post ejus fugam: Quomodo area domûs illius, pontificum sententiis liberata fuerit: domus ac villa publicâ pecuniâ restitutæ: & cùm in reditu ejus, summa annonæ caritas esset, S. C. in sententiam illius factum est, quo Cn. Pompeio rei frumentariæ per quinquennium cura dabatur; cum eodem imperio, quod is bello Piratico habuisset: item, ut T. Annius Milo sæpe cum Clodio, ædilitatis candidato, manu armisque dimicaverit, ne ejus comitia haberentur. Hæc in tribus primis epistolis. In proximis, quæ Cn. Lentulo Marcellino & L. Philippo Coss. scriptæ sunt, nihil est historiâ dignum, nisi de Domitii repulsâ in petitione Consulatûs: qui etiam foro per vim pulsus sit: servo illius, qui lucernam præferebat, interfecto: creati verò sunt ex interregno & per vim, Cn. Pompeius II, M. Crassus II. quorum anno scriptæ literæ reditum Ptolemæi in regnum strictim attingunt: turpémque Crassi in provinciam Syriam profectionem, dirarum obnuntiatione neglectâ. Porrò autem literæ quarti anni Ap. Claudio videlicet, & L. Domitio Coss. candidatorum ambitum & contentionem habent; quæ tanta fuit, ut M. Messàlla & Cn. Domitius ex interregno, septimo hujus anni mense consules declarati vix denique fuerint: idque Q. Pompeio Rufo Tribuno pl. qui intercessionibus comitia tollebat, in carcerem conjecto ex S. C. cæterisque, si quis impedire conaretur, deterritis. Continent etiam A. Gabinii reditum, nocturnúmque in urbem ingressum, omnium hominum odium adversùs illum: accusationem de majestate, quòd contra senatûs populíque judicium, Ptolemæum in regnum reduxisset: & quædam alia, sed pleraque privata, atque domestica. Inter proximè superioris libri epistolas, atque hujus, menses octo fluxerunt: nimirum ex Calendis Jan. ad Nonas Sept.

Liber V.

Ex antepenultimâ epistolâ superioris libri, atque hujus secundâ, intelligimus cessatum esse scribi inter eos, annos ipsos duos, & menses paulò ampliùs sex: nimirum ex a. d. IX. Kal. Nov. L. Domitio Ahenobarbo,

barbo, & Ap. Claudio Pulchro Coss. ad usque mensem Maium, Coss. M. Marcello, & Ser. Sulpicio: quo mense Cicero Proconsule, in provinciam Ciliciam, cum imperio, Româ profectus est, sibi & S. C. & lege Curiatâ traditam extra sortem: Appióque successit. Scriptæ sunt autem libri hujus epistolæ, ex itinere magnâ ex parte: reliquæ ex provincia, quo pervenit prid. K. Sext. cùm Româ egressus est, ut diximus, circiter K. Maii, Marcello & Sulp. Coss. Quæ ex itinere scriptæ sunt, nihil continent memorabile: quæ in provincia, tantùm, quâ moderatione, quâ abstinentiâ illam gubernavit: quóque modo se comparaverit, si fortè Parthi in suam provinciam irruptionem facere conarentur. Nam cùm superiore anno, exercitum populi Romani, Crasso duce interfecto, miserabili clade affecissent, reliquiásque illius, haud sanè magnâ manu, in Syriam persecuti, à Q. Cassio Longino fortissimè repulsi fuissent: majori ac firmiori vi, hoc anno redierunt: ab eodémque Cassio rursùm Syriâ excedere coacti sunt. Ita enim infrà Cicero: *Interim rumore adventûs nostri, & Cassio, qui Antiochiæ tenebatur, animus accessit: & Parthis timor injectus est. Itaque cedentes ab oppido Cassius insecutus, rem bene gessit: quâ in fugâ, magnâ auctoritate Osaces dux Parthorum, vulnus accepit, eóque interiit paucis pòst diebus.* Continetur item his epistolis quomodo Cicero in Amano, Pindenisso, oppido Eleuthero-Cilicum capto, nomen Imperatoris assecutus fuerit; & quædam alia, haud magni ad historiam momenti. Cessatum est autem scribi inter eos toto consulatu Cn. Domitii Calvini: M. Valerii Messallæ: item Cn. Pompeii Magni III. & Q. Metelli Scipionis.

Liber VI.

Qui has M. Tullii epistolas in libros distribuit, is mihi videtur, libri alius initium hinc maximè feciisse, quòd hæ aliis Consulibus, quàm superioris libri scriptæ fuerint: nempe L. Æmilio Paulo: C. Claudio Marcello: quem Suetonius Marci Marcelli patruelem facit: Dio, sobrinum: vel, ex aliorum opinione, fratrem. Hic igitur liber, certum argumentum nullum habet, quod ad Remp. pertineat. Nam bellum Parthicum, cujus hîc mentio fit, in metu potiùs, quàm re ipsâ fuit: cùm anno superiore, qui ab illo cœpto quartus fuit, finem acceperit. De rebus urbanis, quòd odiosa quædam se Cicero audisse scribit, tale fuit. Cæsar cùm vereretur, ne se iniqui sui, provinciâ atque exercitu spoliarent: sícque cogeretur, si consul fieri vellet, privatus ac præsens petere: L. Paullum Consulem, & C. Curionem Tribunum pl. anteà suis actionibus adversantes, grandi mercede sibi conciliavit: quorum operâ factum est, ut retineret exercitum. Nam cùm de illo remittendo referretur, Curio ita est assensus, si reliqui quoque dimitterent: Pompeium notans, sine dubio. Hoc anno Cicero de provincia decessit III. Kalend. Sext. atque Idib. Octob. Athenis fuit, unde postrema libri hujus epistola data est. Reliqua sunt privata atque domestica: de Tullia Dolabellæ collocanda: & aliis rebus.

Liber VII.

Continentes sunt libri hujus epistolæ cum superioribus, ut hæc ipsa prima illa esse videatur, quam proximâ superiore, postero die se daturum, promiserat. Scriptæ porrò sunt partim ex itinere, dum ex provincia redit: partim ex fuga, quam, audito Cæsaris adventu, cum consulibus totóque senatu executus est. Nam cùm ad urbem prid. Non. Januarii accessit, ibidémque spe triumphi, quem sibi frequens senatus, ut ipsemet scribit ad Tironem, efflagitabat, moratur: XIII. Kal. Febr. nuntio illo, ut diximus, accepto, coactus est exire, atque eam cogitationem omittere. Etenim, cùm in sententiam Scipionis S. C. factum esset, ut ante certam diem Cæsar exercitum dimitteret: si non faceret, eum adversùs Remp. facturum videri: eíque S. C. M. Antonius, Q. Cassius Tribunus plebis intercessissent; de intercessione relatum, acerbissiméque decretum fuisset: illi, urbe cedentes, ad Cæsarem, se, qui tum erat Ravennæ, contulissent: Cæsar, iis maximè auctoribus, trajecto Rubicone, Ariminum, quod erat extra provinciam illius, cùm veniisset, tantus pavor repentè urbem invasit, ut passim fuga turpissima facta sit. Continent autem Epistolæ priores, à primâ usque ad decimam, quæ incipit; *Subitò consilium cepi*, hæsitationem, sollicitudinémque

que Ciceronis animi, quónam modo cum Cæſare Pompeióque ſe gereret, cùm utrique eſſet amicus, & illum uterque ſuis annumeraret: poſteriores uſque ad finem libri, cùm multa alia, tum querelam de Pompeio: tum ſine ratione geſta eſſe omnia ab illo atque geri: accuſationem Cæſaris impudentiæ: legationem L. Cæſaris ad Pompeium & Conſules, C. Cæſaris nomine; & quæ illi ad hæc reſponderint. Reliqua privata ſunt. Scriptæ porrò ſunt illæ, L. Paullo, C. Marcello Coſſ. Illud etiam ſciendum, abfuiſſe Ciceronem annum & menſes circiter octo. Profectus eſt enim in provinciam ineunte Maio, Ser. Sulpicio & M. Marcello Coſſ. in eáque & in itinere L. Paulli & C. Marcelli conſulatu conſumpto, ad urbem fuit prid. Non. Jan. Conſulatum L. Lentulo & C. Marcello ineuntibus.

Liber VIII.

Scriptæ ſunt libri hujus epiſtolæ, Conſulibus item L. Cornelio Lentulo, & C. Claudio Marcello; continéntque hiſtoriam dierum XVI, Pompeii videlicet, Pompeianorúmque trepidationem: curam in delectu habendo: geſta à Cæſare in Piceno, & in Pelignis ad Corfinium; Domitii, Domitianorúmque deditionem; ſollicitudinem Ciceronis, aut potius æſtum, Atticum conſulentis, ſi Pompeius Italiâ excedat, quid ſibi faciendum ſit: navigandúmne cum illo, an in ſuis prædiis manendum: & multa in utramque partem diſputantis.

Liber IX.

Continentur item hoc libro Cnæi fuga Brundiſium, atque inde in Macedoniam tranſmiſſio, quæ fuit Idibus Martiis, præmiſſis antea Conſulibus L. Cornelio Lentulo, & C. Claudio Marcello, cum omnibus penè magiſtratibus, cunctóque Senatu: æſtus animi ægritudóque Ciceronis, Atticum conſulentis, cùm Pompeius Italiâ ceſſerit, quid ſibi faciendum ſit: redeuntémque à Brundiſio, quò Pompeium fuerat perſecutus, expectaréne debeat, & quo maximè in loco, quo vultu ſermonéque excipere: denique congreſſus ipſe cum Cæſare, & utriuſque diſceſſus. Quæ omnia acciderunt diebus paulo plus viginti. Nam quotidianæ inter eos erant literæ.

Liber X.

Argumentum idem ferè eſt libri hujus & ſuperioris: Querimonia de perditis Cæſaris & Pompeii conſiliis: Curionis congreſſus, Proprætoris in Siciliam proficiſcentis, largéque & liberaliter de ſuâ Cæſariſque in Ciceronem voluntate pollicentis: Quinti filii ſcelus, Romam profecti, Hirtióque, tum patris tum patrui excedendi conſilia indicantis: Deliberatio; an, quæ in Hiſpania gerantur, expectandum ſit, ad quod & ſui & multi alii hortabantur: Cæſaris literæ, ne quò progrediatur, monentis: Cœlii, ut aliquod oppidum eligat, vacuum à bello, rogantis; Antonii id ipſum, & mandatum ſibi ſignificantis, ne quem Italiâ excedere permittat: Congreſſus cum Servio Sulpicio: Fuga Catonis ex Sicilia in Africam tranſmittentis: firmum propoſitum proficiſcendi, primùm occultè, poſteà palàm. Scriptæ ſunt epiſtolæ ex ante diem III. Non. Aprilis, ad XIII. Kalendas Junias plus minùs: iiſdem L. Cornelio Lentulo, C. Claudio Marcello Coſſ.

Liber XI.

Silentur menſes ferè novem. Conſcendit enim, ut ad Pompeium navigaret, VIII. Id. Junii, Lentulo & Marcello Coſſ. ut ex epiſtola VII. ad Terentiam cognoſci poteſt; & ex eo tempore ſcriptæ literæ, ad menſem Februarium, præter primas libri hujus, nullæ inveniuntur. Nam cùm Cæſar, à colloquio illo Ciceronis, quo de penultimâ epiſtolâ proximi libri agitur, Romam ſe contuliſſet, pecuniámque ex ſanctiore ærario, nequidquam repugnante L. Metello Tribuno plebis abſtuliſſet: rebus nonnullis ad ſuum arbitrium conſtitutis, Italiáque Antonio traditâ & commendatâ, ipſe in Hiſpaniam, contra Pompeii legatos exercitum duxit: quo tempore Cicero in Macedoniam VII. Id. Junii, ut diximus, tranſmiſit, unde priores quatuor epiſtolæ datæ ſunt; ſed C. Cæſare II. & Servilio Iſaurico Coſſ. ante pugnam Pharſalicam, partim ex caſtris Pompeii, partim Dyrrachio; nam Cæſar, devictis legatis illis, Hiſpaniæque rebus compoſitis, Romam reverſus, conſúlque cum Iſaurico declaratus, exeunte anno, ut ait Dio, ut Plutarchus prid. Non. Jan. jam exercitum in Epi-

rum deportaverat. Reliquæ autem epiſtolæ Brundiſio, quò jam acie devicto & fugato Pompeio, Cicero ſe contulerat, datæ ſunt, niſi fallor, menſe Octobr. Nam ad Terentiam ſcribens, libro epiſtolarum ad ipſam, pridie Non. Nov. *Quòd nos* (inquit) *in Italiam ſalvos veniſſe gaudes*, &c. ut ante eas Brundiſio aliæ datæ fuerint. Fuit autem Brundiſii menſes minimùm undecim: ab exitu, inquam, Octobris, ad VI. Kal. Octobris, anni ſequentis: ut rectè ſubducenti menſes fluxerint plus minùs XXI. quo toto tempore Cæſar & cum Pompeio pugnavit, ipſúmque in Ægyptum perſecutus eſt: & ibidem contra Ptolemæum bellum geſſit, in quo menſes novem conſumpſit, ut Appianus ait: & Romam rediens in itinere Pharnacem recepit. Quæ verò datæ ſunt ex Kal. Jan. uſque Kal. Septemb. C. Cæſare Dictatore III. & M. Antonio Mag. Eq. ſcriptæ ſunt. Nam, ut Dio ſcribit, populus Rom. auditâ cæde Pompeii, conſulatum abſenti Cæſari, in annos quinque, dictaturam in annum, Tribunitiam poteſtatem in æternum mandavit. Qui dictaturam ſtatim iniit, quamvis anni exitu, Calenum & Vatinium, eodem auctore, ſubrogaverit in ternos noviſſimos menſes. Datæ ante pugnam Pharſalicam res ferè domeſticas continent: quæ poſt pugnam, querelam ſui conſilii, vel, ut ipſe vocat, amentiæ & temeritatis, quòd ſtatim ab ipſo conflictu, Pompeianorum causâ nondum planè deſperatâ, & poſteà in Africa propè revireſcente, non expectato exitu, in Italiam venerit: cùm neque id tutum, neque honorificum eſſet. Quædam inſunt etiam de remittendo nuntio uxori Terentiæ: de inopia Tulliæ: de ſcelere Dolabellæ, qui Tribunus pl. leges pernicioſiſſimas de novis tabulis ferret, omniáque miſceret. Quædam etiam * de Q. Q. contra ſe ſceleratè loquentibus.

LIBER XII.

Omittuntur ſine literis menſes non pauciores ſex: nempe ex Kal. Sept. in quibus definit liber proximus ſuperior, ad uſque tempus illud, cùm jam bellum in Africa contra Scipionem & Jubam Cæſar gereret. Nam à bello Alexandrino & Ponti reverſus, conſúlque III. cum M. Æmilio Lepido creatus, ſummâ hyeme, hoc eſt II. Kal. Jan. conſcendit, exercitúmque in Africam trajecit: quo tempore quatuor primæ epiſtolæ ſcriptæ ſunt. Quinta & ſexta datæ videntur, cùm jam Cæſar vel appropinquaret, vel rediiſſet. Rediit autem a. d. XII. Kal. Sept. auctore Hirtio. Reliquæ, cùm in Hiſpania contra Pompeii liberos pugnaretur, eodem C. Cæſare Dictatore III, deſignato IV, collegâ, & Magiſtro Eq. M. Æmilio Lepido, quo tempore Tullia ex partu, ut Pedianus & Plutarchus aiunt, apud Lentulum deceſſit. Itaque cùm ſe Cicero Aſturæ abdidiſſet, quotidianas penè literas mittebat, gemitus luctúſque continentes: item preces contentionémque, ut horti ſibi ab Attico curarentur, in quibus filiæ fanum condere poſſet. Fluxere, dum hæ ſcribuntur, menſes plus minùs duodeviginti. Nam ex Kal. Jan. ejus anni, quo Cæſar in Africam tranſmiſit, ad æſtatis initium anni illius, quo quartam Dictaturam in Hiſpania geſſit, tot ferè numerantur. Æſtatem porrò reliquam fuiſſe, ſcriptis libri hujus epiſtolis, ex prima tertii decimi cognoſci licet.

LIBER XIII.

Exiguum tempus mutum fuit à literis, inter hujus libri epiſtolas & ſuperioris. Scriptæ autem & hæ ſunt, dum Cæſar in Hiſpania contra Pompeii liberos bellum gereret, ipſo eodem IV. Conſule ſine collega, ut Sigonio placet: bellóque confecto rediret: ſpatio ferè menſium ſeptem. Nam æſtatis initio, ut ex epiſtolâ primâ colligitur, ſcribi cœptæ ſunt, fingamus ex Kalendis Juniis: & menſe Decembri deſierunt. Namque tertiis Saturnalibus, quæ fuerant XII. Kal. Januarii, apud M. Tullium Cæſar cœnavit, ut eſt in epiſtola ultima libri hujus. Quanquam ultima illa videtur eſſe, cui eſt in hoc libro locus XLI aſſignatus, in qua de ſuo natali die agitur, qui fuit III. Non. Jan. Argumentum illarum multiplex eſt, ſed plurimum in illis: de epiſtolâ ad Cæſarem miſſâ: quos in ſuos Dialogos includere debeat; de hereditatibus quibuſdam: de Quinti filii improbitate, querela: de ſuo Catone, & Cæſaris Anticatone; & de domeſticis ſuis rebus nonnullis.

LIBER

* De Q. Q.] hoc eſt, *de Quinto fratre, & Quinto ejus filio.*

Liber XIV.

Tres ampliùs menſes nullæ extant ſcriptæ literæ: ex tertiis videlicet Saturnalibus, quæ fuerunt XII. Kal. Jan. ad poſt. Id. Martias, quo die Cæſar occiſus eſt. Occiſus eſt autem, ut Velleius ait, cùm quinque menſes poſt reditum ex Hiſpania Romæ fuiſſet. Scriptæ ſunt autem hæ, M. Antonio, & P. Cornelio Dolabella Coſſ. Nam is, interfecto Cæſare, faſces ſtatim, ut ait Paterculus, & inſignia Conſulatûs ſibi arripuit, anteà deſignatus ab illo, quem ſibi ſubſtitueret, in Parthos proficiſcens. Continent verò potiſſimùm Reip. tempeſtates, quæ, illo cæſo, conſecutæ ſunt. Cicero quidem primis illis diebus, cùm ſenatum in ſuam ſententiam perduxiſſet, ut communis concordiæ causâ, injuriarum memoria ſempiternâ oblivione tolleretur: Româ egreſſus eſt in ſuas villas, unde dedit has literas, modò ſpei, modò deſperationis plenas. Privatim verò continent querelam de mentitis actis Cæſaris: factum Dolabellæ: de Amatio humillimæ ſortis homine, qui auſus fuerat in C. Marii nomen invadere, ſéque pro nepote illius gerere: & domeſtica quædam privatiùs. Datæ ſunt poſt Id. Mart. ad XVI. circiter Kal. Junii.

Liber XV.

Non valdè differens eſt libri hujus argumentum à ſuperioris ſententiâ. Scriptæ enim epiſtolæ omnes ſunt, cùm adhuc Romæ negotia tumerent, Antoniúſque & Octavius ita omnia miſcerent, ut, quamvis neque planè bellum, neque pax eſſet, appareret tamen rem ad arma deductum iri. Quo quidem tempore Cicero ſibi timens, ſimúlque filium Athenis philoſophiæ operam dantem, cupiens inviſere; cùm jus liberæ legationis à Dolabella, non autem provincialis nempe Syriacæ, ut Plutarcho placet, haberet, (id enim ex his epiſtolis ac Philippicâ primâ cognoſcitur) iter cepit in Græciam, eo conſilio, ut Kal. Jan. adeſſet, quod initium cogendi ſenatus fore, Hirtio & Panſa conſulatum ineuntibus, videbatur. Dum ſpes verò aliqua meliorum rerum fuit, Brutúſque & Caſſius prætores urbani, quibus maximè recuperandæ Reip. ratio nitebatur, ſi non Romæ, in proximis tamen locis, manebant: pérque literas & edicta, cum Antonio populóque agebant; nuſquam ille pedem. Cedentibus autem illis, & ipſe conſilium cepit abeundi. Hæc illorum temporum hiſtoria eſt. Privatim tamen in his epiſtolis plura continentur, quæ perſequi longum eſſet. Scriptæ ſunt ex ante XVI. Kalend. Jan. ad Non. Quint.

Liber XVI.

Malè affectâ oppreſsáque civitate armis Antonii, reique publicæ ſalute deſperatâ, quod adhuc C. Cæſare vivente cogitaverat, iter in Græciam eſt ingreſſus, re tamen priùs lentè deliberatâ, quòd & futuris de ſe hominum ſermonibus moveretur, & ægrè à ſuis villulis Italiáque avelleretur. Ergo Puteolos primùm progreſſus, inque Neûde Brutum allocutus, claſſem unà cum Caſſio parantem, quâ ille in Macedoniam, hic in Syriam navigarent: Kalendis Sext. Rhegio conſcendens, venit Syracuſas. Unde cùm tranſmittere vellet in Græciam, biſque ad Leucopetram, quod eſt agri Rhegini promontorium, Auſtro rejectus eſſet, profectionis conſilium abjecit: eóque magis, quòd boni quidam nuntii eò Româ venerunt, fore ut Antonius eſſet in poteſtate ſenatûs, ſenatores in urbem redirent, res conveniret. Hac igitur ſpe commotus Romam rediit, urbémque ingreſſus eſt Kalendis Septembris: & IV. Non. hoc eſt poſtridiè Kalendas, ut ſcribitur Philip. V. eam dixit orationem, quæ eſt in Antonium prima. Fuit deinde partim Romæ, partim in ſuis prædiis: quæ omnia commemorantur ſex primis epiſtolis. Reliquæ ſcriptæ ſunt incertis quidem diebus magnâ ex parte: omnes tamen ante Kal. Jan. quo toto tempore, hæc geſta fuiſſe traduntur. Cùm M. Antonius & Octavianus occultis potiùs odiis inter ſe, quàm apertâ vi certarent, altérque alterum inſidiis prævertere conaretur: Antonius ante diem VII. Id. Octobr. Brundiſium venit, profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, ut eas ſibi pecuniâ conciliaret: quas tamen, quòd quidam ab Octaviano præmiſſi, multò plus obtulerant, attrahere ad ſe non potuit. Itaque & Martia & Decima illum poſteà deſeruerunt, &

ad Octavianum transierunt: qui item Octavianus eo ipso tempore, quo Antonius Brundisii fuit, ipse in Campaniam pergens, magnum veteranorum numerum, ingenti spe, ingentique pecuniâ cepit. Nimirum denariis, ut Cicero ait, CCCC. Idque initium fuit armorum inter ipsos, cùm anteà neque bellum gererent, neque pacem haberent. Et hoc tempus illud fuit, cùm Cicero ab Octaviano, per speciem capessendæ Reip. in Antonium sollicitatus est: nihil se, nisi de illius consilio, nec nisi per senatum facturum, pollicente. Scriptæ sunt omnes, Antonio & Dolabella Coss. ex a. d. VII. Id. Quint. ad Nonas circiter Decembris. Atque his quidem multa alia continentur, sed vel domestica, vel huc pertinentia.

M. TUL-

M. TULLII CICERONIS EPISTOLÆ AD ATTICUM.

LIBER PRIMUS.

CICERO ATTICO SAL.

PETITIONIS [1] noſtræ, quam tibi ſummæ curæ eſſe ſcio, hujuſmodi ratio eſt, quòd adhuc conjecturâ provideri poſſit. Prenſat unus [2] P. Galba: [3] ſine fuco ac fallaciis, more majorum, negatur. Ut opinio eſt hominum, non aliena rationi noſtræ fuit illius hæc præpropera prenſatio. Nam illi ita negant vulgò, ut mihi ſe debere dicant. [4] Ita quiddam ſpero nobis profici, cùm hoc percrebreſcit, plurimos noſtros amicos inveniri. Nos autem initium

1. *Petitionis noſtræ*] Petitionis noſtræ conſulatûs, ſed futuræ anno ſequenti. Nunc enim tantùm prenſare cogitat, L. Cotta, L. Torquato Coſſ. CORRADUS.

2. *P. Galba*] P. Sulpitius Galba: quo de Q. Cic. in libr. de petitione Conſ. ID.

3. *Sine fuco*] Ita interpunximus hæc verba, ut monuit Malaſpina: ut, *ſine fuco*, & *fallaciis*, referatur ad denegationem ſuffragatorum, non ad prenſationem Galbæ. BOSIUS. Sic etiam Muretus, *Var. Lect.* IX. 10.

4. *Ita quiddam*] Creber ille rumor de multorum erga nos propenſâ voluntate nobis nonnihil, ut ſpero, proderit ad obtinenda populi ſuffragia. BOSIUS.

tium prensandi facere cogitaramus eo ipso tempore, quo tuum puerum cum his literis proficiscì Cincius dicebat, in campo, comitiis Tribunitiis, [5] a. d. XVI. Kalend. Sext. Competitores, qui certi esse videantur, Galba, & [6] Antonius, & [7] Q. Cornificius. Puto te in hoc aut risisse, aut ingemuisse. [8] Ut frontem ferias; sunt, qui etiam [9] Cæsonium putent. [10] Aquilium non arbitramur, qui denegat, & juravit morbum, & illud suum [11] regnum judiciale opposuit. Catilina, si judicatum erit [12] meridie non lucere, certus erit competitor. De [13] Aufidio, & [14] Palicano, non puto te expectare dum scribam. De iis, [15] qui nunc petunt,

5. *A. d.* XVI.] Notis scripsimus a. d. non, ut erat in vulgatis, *ad*, quæ præpositio huic loco convenire non potest. Nam ad decimum sextum Kalendas esset circiter decimum sextum Kalend. (id enim *ad* declarat in hujusmodi locutione) quo dicto certus dies non præstitueretur: quem tamen hìc præfinisse Ciceronem liquidò ostendunt hæc verba *comitiis tribunitiis*. Nam in incertum diem indici comitia non solebant. Hinc statuo hìc scribendum esse, ut dixi, a. d. XVI. Concisè autem dicebant *ante diem*, pro, ante diem finitum, proindéque ipso die. Inde Paulus Jurisconsultus lib. III. ad legem Papiam & Juliam, cùm docere vellet his verbis, *ante diem decimum Kalendas*, &, *post diem decimum Kalendas*, diem ipsum decimum Kalendas significari, sic scripsit: *ante diem decimum Kalendarum, post diem decimum Kalendarum: neutro enim sermone undecim dies significantur.* In eamdem quoque sententiam Ulpianus libro XIX. ad edictum, *qui*, inquit. *ante Kalendas proximas stipulatur, similis est ei, qui Kalendis stipulatur.* Hæc enim verba, *ante Kalendas*, sic accipienda putat Ulpianus, quasi dictum esset *ante diem Kalendas*. ID.

6. *Antonius*] Hic in ædilitate & prætura, Ciceronis fuerat collega, fuítque pòst etiam in Consulatu. MANUTIUS.

7. *Q. Cornificius*] Qui trib. pleb. fuit Q. Hortensio & Q. Metello Coss. *Verr. Act.* I. 10. CORRADUS.

8. *Ut frontem ferias*] Frontem vel femur ferire est indignantis, tam apud Græcos quàm Latinos. POPMA. Incrementum est in verbis Tullii: de Cornificio aut risum aut dolorem fore Attico; de Cæsonio indignationem: nam prius esse ridiculum, posterius indignissimum. JUNIUS.

9. *Cæsonium*] Qui mecum fuit Ædilis designatus. *Verr. Act.* I. 10. CORRADUS.

10. *Aquilium*] C. Aquilium Gallum Jurisconsultum: Orat. pro A. Cecinna: qui tunc & ipse Prætor erat, Ascon. in Orat. pro Cornel. IDEM.

11. *Regnum judiciale*] Dubito an referam ad judicandi rationem, an ad privatum munus respondendi de jure. Utrumque convenit Aquilio. Nam & judicem sæpè eum fuisse captum verisimile est, & ostendit Oratio pro Quintio. Malim tamen ad privatum munus referre. Fuit enim tum verè augustum id, cùm quidem insignia fuerunt, teste Cicerone, olim transverso foro obambulare, posteà sedere in atrio suo, in sella honorabili, sive solio. CASAUB.

12. *Meridie non lucere*] Hoc est, si de manifestissimis criminibus, quorum ille reus agebatur, judices pronuntiarent sibi nihil constare, ideóque illum absolverent. BOSIUS. Olim ediderant *si judicatum erit, ejus haberi rationem licere*: quòd sic legendum esse, & ex Italis Sebast. Corradus, & ex nostratibus Æmarus Ranconetus censuissent primùm: haud dubiis fortasse conjecturis ducti, deinde ab antiquæ scripturæ vestigiis non longè discedentes. LAMBINUS.

13. *Aufidio*] De quo in Bruto, c. 48.

14. *Palicano*] *Palikanus* incisum est in antiquis denariis, quos constat à Palikano signato esse, cujus hìc meminit Cicero, quíque Tribunitiam potestatem à Sylla populo ademptam, Tribunus pleb. cùm esset, Pompeio consule adjuvante, restituit. URSINUS.

petunt, [16] Cæsar [17] certus putatur. [18] Thermus cum [19] Silano contendere existimatur; qui sic inopes & ab amicis & existimatione sunt, ut mihi videatur non esse [20] ἀδύνατον [21] Curium obducere. Sed hoc præter me nemini videtur. Nostris rationibus maximè conducere videtur, Thermum fieri cum Cæsare. Nemo est enim ex iis, qui nunc petunt, qui, si in nostrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur; propterea quòd curator est viæ Flaminiæ, [22] quæ tum erit absoluta sanè facilè. [23] *Eum libenter nunc cæteri Consuli acciderim.* Petitorum hæc est

15. *Qui nunc petunt*] Ut proximis comitiis consules designentur. Nam cæteri, quos nominavit, non petebant, sed prensabant ad insequentis anni petitionem. Manut.

16. *Cæsar*] L. Julius Cæsar: epist. seq.

17. *Certus*] Cos. ut fuit. Corradus.

18. *Thermus*] Is est C. Minucius Thermus, qui pòst ex adoptione, cùm in familiam patriciam transiisset, C. Marcius Figulus appellatus. Junius.

19. *Silano*] D. Julio Silano, qui cum L. Licinio Murena consul fuit. Manut.

20. *Ἀδύνατον*] Quod fieri non potest.

21. *Curium obducere*] Virum flagitiis atque facinoribus coopertum; quem Censores, probri causâ, Senatu moverant, ut refert Sallustius. Itaque cùm vellet ostendere Thermum & Silanum gratiâ & existimatione, quo tempore hæc scribebat, parum valere, eos cum despicatissimo illo viro comparavit, aitque ἀδύνατον non esse illum adversùs eos ducere ad petendum Consulatum. Est ergo *obducere*, aliquem contraducere, qui alteri adversetur. De hoc Curio intelligendus est locus hic libri secundi: *jacet enim ille sic, ut πλῶτις Curiana stare videatur.* Bosius.

22. *Quæ tum erit absoluta*] Ait Cicero fore anno proximè sequenti, quo ipse petiturus erat Consulatum, ut Thermus, qui, cùm hæc scribebantur, inops erat ab amicis, plurimùm gratiâ valeret apud populum; quòd tum facilè absoluta foret via Flaminia, quam ille reficiendam curabat. Eâ enim curatione sibi nullo negotio studia acquisiturus erat vulgi. Ergo post vocem *facilè*, statuenda est ea distinctionis nota, quâ ambitus orationis terminari solent, hoc est, πλείαν στιγμήν. Idem.

23. *Eum libenter nunc cæteri Consuli acciderim*] Sic edidit Victorius, jubentibus quidem membranis, sed nullo sensu. Præclarè conjecit Manutius: *Eum libenter nunc Cæsari Consulem addiderim.* Acutior etiam Bosius, veterum literularum vestigia persecutus, legit: *Eum libens θέρμον ciceri Consul accuderim.* Hîc, inquit, lepidissima est allusio ad notationes nominum Ciceronis, & Thermi; nam ut Cicero à cicere, ita Thermus ἀπὸ τοῦ θέρμου, id est, à lupino videtur appellatus. Itaque festivè scribit Cicero se Consulem factum libenter cusurum θέρμον, hoc est, lupinum cum cicere, indicans, se non invito animo sibi adjuncturum collegam in consulatu Thermum; nam verbum *accuderim* quàm aptè conveniat ciceri, & lupino, aliisque leguminibus, satis intelligi potest ex hoc proverbio Terentiano, *hæc cudetur in me faba.* Hæc Bosius. Neque hanc popularis sui conjecturam respuere admodum videtur Muretus; sed aliam inde sententiam elicit; mutato *eum* in *tum*, & particulâ negante additâ: *tum libens Thermon Ciceri non accuderim.* Aberat enim Bosius à Tullii mente, qui Thermum non optabat Consulem fieri anno sequenti, quo ipse petiturus erat, sed verebatur ne in illum annum candidatus recideret. Quod copiosè, atque eleganter, ut solet, exponit Muretus, *Var. Lect.* XIX. 10. Ego verò lectionem vulgatam, etsi insulsam, retinere cum Grævio malui, quàm Tullio aliorum verba & sensa tribuere. Sit ingeniosa, ut certè est, allusio Bosiana, quis veram præstiterit? Olivetus.

est adhuc [24] informata cogitatio. Nos in omni munere candidatorio fungendo summam adhibebimus diligentiam: & fortasse, quoniam videtur in suffragiis multum posse Gallia, cùm Romæ à judiciis forum [25] refrixerit, excurremus mense Septembri [26] legati ad [27] Pisonem, ut Januario revertamur. Cùm perspexero voluntates nobilium, scribam ad te. Cætera spero [28] prolixa esse, his duntaxat [29] urbanis competitoribus. [30] Illam manum tu mihi [31] cura ut præstes, [32] quoniam propiùs abes, Pompeii nostri amici. [33] Nega me ei iratum fore, si ad mea comitia non venerit. Atque hæc hujusmodi sunt. Sed est, quod abs te mihi ignosci pervelim. Cæcilius, avunculus tuus, à P. Vario cùm magnâ pecuniâ fraudaretur, agere cœpit cum ejus fratre Caninio Satrio de iis rebus, quas eum [34] dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret. Unà agebant cæteri creditores, in quibus

24. *Informata cogitatio*] Hæc est, inquit, vel mea vel hominum de tota candidatorum ratione opinio, atque animi judicium, imperfectum scilicet, & quod adhuc conjecturâ provideri possit. MALASPINA.

25. *Refrixerit*] Hoc est, cùm minùs licebit Romæ judiciis vacare. Intelligit ultimos anni menses. Nam ex secunda Verrina apparet post Sextilem plerosque dies quatuor sequentium mensium dies fuisse ludis dicatos. Vide Hotom. lib. 1. Observat. cap. 16. CASAUBONUS.

26. *Legati*] Non, legati ad Pisonem, sed excurremus ad Pisonem, legati. Quam autem hîc legationem significat, liberam, opinor: quia senatori ab urbe diutiùs abesse, nisi jure liberæ legationis impetrato, non licebat. MANUTIUS.

27. *Pisonem*] C. Calpurnius Piso Galliam Narbonensem proconsule alterum jam annum administrabat: ad quem impetratâ liberâ legatione excurrere volebat, ut per Galliam Togatam & Cispadanam transiens, appellaret rogarétque colonias & municipia, quæ suffragii jus habebant, & Januario mense reverti ad obeunda rursus judicia. POPMA.

28. *Prolixa*] Puto vocem *prolixus* propriè de vestibus dici. Est enim prolixus quasi valdè laxus, *a* in *i*, ut in *inficetus*. Notabis tamen ferè apud auctores de magnitudine vel longitudine accipi videri, ut Terent. *prolixus capillus*. Plin. *prolixæ abietes*. Inde translatè apud Cic. *prolixus animus* pro propensus: & *res prolixæ* apud Gell. hoc est secundæ. Sic hoc loco *prolixa* pro secunda. CASAUB.

29. *Urbanis competitoribus*] Hoc ita interpretor: Modò quidem res mihi futura sit tantùm cum iis, qui nunc in urbe sunt: quasi dicat, Nam si in urbem redierint multi nobiles qui absunt, vereor ne parum firmus futurus sim candidatus. *Urbani* sunt, qui in urbe sunt. Sic apud Plaut. *Urbani fiunt rustici*. IDEM.

30. *Illam manum*] Nobiles viros, cum Pompeio in Asiam ad bellum Mithridaticum profectos. MANUTIUS.

31. *Cura ut præstes*] Effice, ut meam petitionem adjuvent, missis Romam epistolis ad propinquos, & familiares. IDEM.

32. *Quoniam propiùs abes*] Cùm tu in Græcia sis, minùs abes à Pompeio, quàm ego, qui sum Romæ: itaque per litteras & cum ipso potes, & cum iis qui unà sunt, de honore meo commodiùs agere. Est autem, *Propiùs abesse*, minùs distare. IDEM.

33. *Nega*] Dic illi me non tam ut veniat ad mea comitia optare, quàm ut apud se retineat, quos in suo comitatu habet viros nobiles, quorum erant fortasse aliqui prætorii, qui, si Romæ affuissent, Ciceroni præripere potuissent Consulatum: ideò modò dicebat *his urbanis duntaxat competitoribus*.

quibus erat [35] Lucullus, & [36] P. Scipio, & is, quem putabant [37] magiſtrum fore, ſi bona venirent, L. Pontius. Verùm hoc [38] ridiculum eſt, de magiſtro nunc cognoſcere. Rogavit me Cæcilius, [39] ut adeſſem contra Satrium. Dies ferè nullus eſt, quin hic Satrius domum meam ventitet. Obſervat [40] L. Domitium maximè: me habet proximum. Fuit & mihi, & Quinto fratri, magno uſui in noſtris petitionibus. Sanè ſum perturbatus, cùm ipſius Satrii familiaritate, tum Domitii, in quo uno maximè ambitio noſtra nititur. Demonſtravi hæc Cæcilio: ſimul & illud oſtendi, ſi ipſe unus cum illo uno contenderet, me ei ſatisfacturum fuiſſe: nunc in cauſa univerſorum creditorum, hominum præſertim ampliſſimorum, [41] qui ſine eo, quem Cæcilius ſuo nomine [42] perhiberet, facilè cauſam communem ſuſtinerent, æquum eſſe, eum & [43] officio meo conſulere, & [44] tempori. Durius accipere hoc mihi viſus eſt, quàm vellem,

titoribus. Casaub. Non minùs arguta ſententia erit, ſi *negant* legeris. Nam quod amici Pompeii deprecabantur, id Cicero facetè negare eos aiebat, ut illud Craſſi de Oratore (cap. 64.) *At tu negaras te mihi moleſtum futurum.* Poſſe autem Pompeium venire ad commendandum Candidatum, ſi non Romam, at in extremam provinciam, ex Cæſaris Commentariis perſpicitur. Ipſe enim quotannis, rebus relictis, veniebat. Muretus.

34. *Dolo malo*] P. Varius cùm æris alieni plurimum contraxiſſet, ut creditores fraudaret, bona ſua mancipio tradiderat Caninio fratri. Id cùm animadvertiſſent creditores, agere cœperunt adversùs Caninium, quòd is dolo malo, ad ſe fraudandos, Varii bona mancipio accepiſſet. Quæ actio à Jurisconſultis noſtris appellatur Pauliana. Sed nondum proprio nomine prodita fuerat tempore Ciceronis. Idcirco ejus loco agebatur de dolo; quod judicium dare ſolebat Prætor, ubi [propria actio deficiebat iis de rebus, quæ dolo malo factæ eſſe dicebantur. Bosius.

35. *Lucullus*] L. Licinius Lucullus, cujus familiaris erat Q. Cæcilius. *Nepos* in Attici vita. L. verò Lucullus triennio ante Ciceronis conſulatum victor à Mithridatico bello revertit. Corrad.

36. P. *Scipio*] Qui adoptatus à Metello, Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio poſteà fuit appellatus. Idem.

37. *Magiſtrum*] Scilicet auctionis.

38. *Ridiculum eſt de magiſtro*] Senſus hujus loci hic videtur eſſe: Ridiculum eſt nunc loqui & cenſere de magiſtro, cùm incertum ſit planè an Varium damnaturi ſint judices, & ejus bona ſubjecturi haſtæ, cui præſit magiſter. Grævius.

39. *Ut adeſſem contra Satrium*] Nempe ut patronus, ſive orator. Casaub.

40. *L. Domitium.*] Hic eſt L. Domitius Ahenobarbus, ſingularis Ciceronis amicus: quod re declaravit, prætor cùm eſſet, exulante Cicerone. Idem.

41. *Qui ſine eo, quem Cæcilius*] Id eſt, *qui ſine ea perſona quam ipſe Cæcilius proſe, & proprio nomine, magnâ cum laude cuique gratam ferret.* Hæc in margine Boſii Baluziani, de quo in Præfatione diximus. Nos hunc eſſe ſenſum arbitramur: Etiamſi nullus perhiberetur, qui ageret nomine Cæcilii, fore tamen ſatis multos, *qui ſine eo facilè cauſam communem ſuſtinerent.* Olivetus.

42. *Perhiberet*] Exhiberet: niſi fortè legendum ſit, *præberet.* Corrad.

43. *Officio*] Ne cogar contra officium accuſare de me optimè meritum virum Satrium. Casaub.

44. *Tempori*] Petitionis. Corradus.

& quàm homines belli ſolent: & poſteà prorſus ab inſtituta noſtra paucorum dierum conſuetudine longè refugit. Abs te peto, ut mihi hoc ignoſcas, & me exiſtimes humanitate eſſe prohibitum, ne contra amici [45] ſummam exiſtimationem miſerrimo ejus tempore venirem: cùm is omnia ſua ſtudia & officia in me contuliſſet. Quòd ſi voles in me eſſe durior, ambitionem putabis mihi obſtitiſſe. Ego autem arbitror, etiam ſi id ſit, mihi ignoſcendum eſſe: [46] ἐπεὶ οὐχ' ἱερήιον οὐδὲ βοείην. Vides enim, in quo curſu ſumus, & quàm omnes gratias non modò retinendas, verùm etiam acquirendas putemus. Spero tibi me cauſam probaſſe; cupio quidem certè. [47] Hermathena tua valdè me delectat, & poſita ita bellè eſt, ut totum gymnaſium [48] ἡλίου ἀνάθημα eſſe videatur. Multùm te amamus. Vale.

CICE-

45. *Summam exiſtimationem*] *Summa exiſtimatio* eſt res à qua omnis ejus exiſtimatio pendet, & in diſcrimen venit: ut *ſumma reſpublica* eſt res in qua vertitur ſalus totius reipublicæ, ut pluribus docet Gronovius ad Liv. XXVI. 10. GRÆVIUS.

46. Ἐπεὶ οὐχ' ἱερήιον οὐ ϑ βοείην] *Quia non taurum, neque tergus bubulum*, ſupple, *capto:* nam ex Homero ſumi debet ἄρνυμαι Homerus Iliados Ψ 159, pronuntiat hos verſus de Achille, qui Hectorem contento curſu ſequebatur. Virg. Æn. XII. 764, *Neque enim levia, aut ludicra petuntur Præmia*, &c. Senſus eſt. Quòd avunculo tuo non ſatisfecerim, & cauſam fateor ambitionem fuiſſe, & mihi tamen arbitror eſſe ignoſcendum, quòd, ut vides, hæc me ambitio, quaſi curſus quidam, non ad ludicrum, aut inane præmium, ſed ad conſulatum ferat. MAN.

47. *Hermathena tua*] Signum erat in una baſi commune *Mercurio* & *Minervæ:* poſuit autem iſtud ſignum Cicero in gymnaſio ſuo, id eſt, in Academia villæ Tuſculanæ, (non in villa, quæ Academia dicebatur) propterea quod Mercurius deus eſt omnium gymnaſiorum communis, tam eorum quæ animi ſunt, quàm eorum quæ corporis. Minerva autem ſingularis & propria erat gymnaſii, quod inſtituerat ad cultum animi tantum, & ad diſputationes commentationéſque de Philoſophiæ ſtudiis, cùm liberalium artium præſes ſit. TURNEBUS.

48. Ἡλίου ἀνάθημα] *Solis donum.* Si locus ſanus eſt, hæc, auctoribus doctis hominibus, ſententia eſt: tua Hermathena gymnaſio noſtro tantum ſplendoris & ornamenti affert, ut gymnaſium noſtrum nobis pulcherrimum videatur. Sed non negabo, mihi *totum* illud huic interpretationi, atque adeò lectioni non ſatis conſentire videri. Si dixiſſet: gymnaſium mihi videtur pulcherrimum ἡλίου ἀνάθημα, concederem. Nunc cùm dicit *totum*, manifeſtum mihi eſſe videtur, ludi in *totum gymnaſium* & ἀνάθημα. Hermathena ſi ἀνάθημα appellatur, nihil mirum eſſet. Sed illius tantam pulchritudinem dicit, ut longè gymnaſio ipſi præferenda ſit, & totum potiùs gymnaſium, quàm ſtatua illa, ἀνάθημα putandum ſit. Itaque aut probandam cenſeo lectionem, quam in manuſcripto invenit Grævius, *ejus* ἀνάθημα: aut, quæ propiùs accedit ad ἡλίου, Caſauboni conjecturam, *illius* ἀνάθημα. ERNESTUS.

Cicero Attico Sal.

Lucio [1] Julio Cæsare, C. Marcio Figulo coss. filiolo me auctum scito, salvâ Terentiâ. Abs te tam diù nihil literarum? Ego de meis ad te rationibus scripsi anteà diligenter. Hoc tempore Catilinam, competitorem nostrum, [2] defendere cogitamus. Judices habemus, quos voluimus, summâ [3] accusatoris voluntate. Spero, si absolutus erit, conjunctiorem illum nobis fore in ratione petitionis: sin aliter acciderit, humaniter feremus. Tuo adventu nobis opus est maturo. Nam prorsus summa hominum est opinio, [4] tuos familiares, nobiles homines, adversarios honori nostro fore. Ad eorum voluntatem mihi conciliandam maximo te mihi usui fore video. Quare Januario ineunte, ut constituisti, cura ut Romæ sis. 2

1. *L. Julio Cæsare*] Voluit Cicero primis his verbis Atticum rerum duarum facere certiorem, designationis Consulum Cæsaris & Figuli, & diei natalis filii, qui sub tempus comitiorum, quibus illi Consules renuntiati sunt, in lucem editus est: Cùm ergo ait, *L. Julio Cæsare, C. Marcio Figulo consulibus*, non tempus notat, quo illi inierunt, sed quo designati sunt; idque apertiùs ostendit ex iis, quæ mox subjicit de institutâ defensione Catilinæ: nam causam dixit Catilina Cotta & Torquato Consulibus, designatis tamen in annum sequentem Cæsare & Figulo. Bosius.

2. *Defendere*] Reum de repetundis ob Africam spoliatam. Corradus.

3. *Accusatoris*] P. Clodii, qui tamen à Catilina pecuniam accepit, ut turpissimè prævaricaretur. Orat. de resp. Arusp. & Ascon. Idem.

4. *Tuos familiares*] M. Crassum, & C. Cæsarem, quos C. Antonio & Catilinæ favisse, & Ciceroni adversatos fuisse scribit Ascon. vel Hortensium, Philippum, & Lucullum; quos piscinarios, & amicos Attici vocat ep. 15. & 16. h. l. Idem.

Cicero Attico Sal.

Aviam tuam scito desiderio tui mortuam esse, & simul, [1] quòd verita sit, ne [2] Latinæ [3] in officio non manerent, & in montem Albanum hostias non adducerent. Ejus rei [4] consolationem ad te L. Saufeium missurum esse arbitror. Nos hîc 3

1. *Quod verita sit*] Ut anus religiosa, quæ sacra illa frequentaret, vel potiùs superstitiosa: jocatur enim Cicero. Corr.

2. *Ne Latinæ*] Fœminæ. Idem.

3. *In officio*] In montem Albanum feriis Latinis conveniendi. Idem. Vide Dionys. Halicarn. lib. IV.

4. *Consolationem*] Etiam hîc jocatur cum Attico, quem fuisse Epicureum constat ex multis Cic. locis. Cùm igitur moris esset, ut amici ad amicos literas consolatorias, si occasio data esset, mitterent; ait Cicero non esse quòd Atticus hujusmodi consola-

te ad menſem Januarium expectamus, ex quodam rumore, an ex literis tuis ad alios miſſis? nam ad me de eo nihil ſcripſiſti. Signa, quæ nobis curaſti, ea ſunt [5] ad Caietam expoſita. Nos ea non vidimus. Neque enim exeundi Româ poteſtas nobis fuit. Miſimus, qui pro vectura ſolveret. Te multùm amamus, quòd ea abs te diligenter, parvóque curata ſunt. Quod ad me ſæpe ſcripſiſti [6] de noſtro amico placando, feci, & expertus ſum omnia: ſed mirandum in modum eſt animo abalienato: quibus de ſuſpicionibus, etſi audiſſe te arbitror, tamen ex me, cùm veneris, cognoſces. [7] Salluſtium præſentem reſtituere in ejus veterem gratiam non potui. Hoc ad te ſcripſi, quòd is me [8] accuſare de te ſolebat. At in ſe expertus eſt illum eſſe minùs exorabilem, meum ſtudium nec tibi defuiſſe. Tulliolam C. Piſoni, L. filio, Frugi deſpondimus.

CICE-

---

tionem à ſe expectet, eam enim ſe ſcribendam relinquere Saufeio, qui fuit & ipſe Epicureus: quaſi dicat, noli à me diverſæ ſectæ homine expectare conſolationem, ſed à Saufeio tuo illo Epicureo. Non dubito hanc eſſe veram hujus loci interpretationem. CASAUBONUS.

5. *Ad Caietam*] *Caieta* hîc videtur accipi pro portu celeberrimo in ora Italiæ ad mare inferum, qui aberat Româ ſtadia circiter DCC, hoc eſt, M. P. LXXXV, auctore Strabone. Ad hunc portum fuerunt Formiæ: in cujus oppidi agro erat Formianum prædium Ciceronis, quod videtur Cicero *Caietam* vocare epiſt. 4. Nam ibi manifeſtò Caietam pro villa uſurpat, ut videatur Caieta & Formianum idem eſſe. Itaque etiam hîc fortaſſe poſſumus prædium intelligere potiùs Ciceronis, quàm portum. Nam ibi iterum dicuntur ea ſigna eſſe in Formiano, nec dum viſa Ciceroni. IDEM.

6. *De noſtro amico placando*] L. Lucceium intelligit, virum doctiſſimum, ad quem extant aliquot Ciceronis epiſtolæ lib. v. ad Fam. Cum hoc fuiſſe neſcio quid Attico controverſiæ apparet ex multis Ciceronis epiſtolis. Quæ autem cauſæ hujus offenſionis fuerint, planè neſcio: nam id nuſquam Cicero indicat ne in αἰνίγμοις quidem, niſi quòd ejus inde principia ducta videntur, quòd Lucceius offenſum ſe dixerat ab Attico in arbitrio quodam. Vide init. Epiſt. XI. At illud ex Cic. colligimus, quód Lucceius hîc ſe difficilem admodum præbuerit ad redeundum cum Attico in gratiam: tandem ultro eam petiit, quod Cicero indicat in epiſt. XIV, quæ cùm ſit ſcripta Meſſallâ & Piſone Coſſ. apparet ex eo, minimum ſeptem annorum has ſimultates fuiſſe. Veruntamen cùm ait Cicero *de noſtro amico placando*; videtur ita loqui, quaſi nondum penitus abrupta ſit, ac ne diſſuta quidem amicitia inter Atticum & Lucceium. Nondum igitur amicitiæ renuntiatio facta fuerat ex more Romano. Sed hoc fuit velut leve quoddam jurgium & friguſculum quoddam. At cùm graviores inimicitiarum cauſæ erant, ſolebant renuntiare amicitiæ, idque cùm publicè, ut teſtatur Liv. lib. XXXVI, & alii Hiſtorici, tum privatim. Tacit. VI. Annal. *Morem fuiſſe majoribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eúmque finem gratiæ ponere.* ID.

7. *Salluſtium*] Vide lib. XI. ep. 17.

8. *Accuſare de te ſolebat*] Quòd Lucceium tibi non placarem. MANUTIUS.

Cicero Attico Sal.

CRebras expectationes nobis tui commoves. Nuper quidem, cùm jam te adventare arbitraremur, repentè abs te in menſem Quintilem rejecti ſumus. Nunc verò cenſeo, [1] quod commodo tuo facere poteris, venias ad id tempus, quod ſcribis. Obieris [2] Quinti fratris comitia; nos longo intervallo viſeris; [3] Acutilianam controverſiam tranſegeris. Hoc me etiam Peduceus, ut ad te ſcriberem, admonuit. Putamus enim utile eſſe, te aliquando jam rem tranſigere. [4] Mea interceſſio parata & eſt, & fuit. Nos hîc incredibili ac ſingulari populi voluntate [5] de C. Macro tranſegimus. [6] Cui cùm æqui fuiſſemus, tamen multo majorem fructum ex populi exiſtimatione, illo damnato, cepimus, quàm ex ipſius, ſi abſolutus eſſet, gratiâ cepiſſemus. Quod ad me de Hermathena ſcribis, per mihi gratum eſt; & ornamentum [7] Academiæ proprium meæ, quòd & [8] Hermes commune omnium, & Minerva ſingulare eſt in- 4

1. *Quod commodo tuo facere poteris*] Formula, antiqua, qua in petendo aliquid utebantur. Eſt autem ἐπιεικὴς τῷ *cum ἀντὶ* quod cum tuo commodo fiat. Sic ep. 8. lib. VII. *Sed amabo nihil incommodo valetudinis feceris*, hoc eſt, cum incommodo. Casaub.

2. *Q. fratris comitia*] Quibus ædilitatem Quintus petebat. Nam prætura geſſit triennio pòſt, Silano & Murena coſſ. proximíſque conſulibus Piſone & Meſſalla, ex prætura eſt in Aſiam profectus: petiit igitur ædilitatem Lepido & Tullo conſulatum gerentibus, geſſit Cottâ & Torquato, quoniam inter ædilitatem & prætura biennium interſit neceſſe eſt, vacuum ordinariis honoribus. Manutius.

3. *Acutilianam*] Delegatum fuerat Acutilio nomen aliquod Attici; quod Atticus præſtitutâ die diſſolvere non recuſabat, modò Acutilius ſatisdaret ampliùs ab ipſo non peti: interim fidejuſſorem dare volebat Ciceronem. Id ſcilicet Atticus agebat, ut ſibi ab eo caveretur, qui nomen Acutilio delegarat. Hanc puto fuiſſe Acutilianam controverſiam. Bosius. Verùm ego puto, ſi ea cauſa tantùm fuiſſet, non futurum locum tot querimoniis Acutilii hujus, de quibus Cic. epiſt. ſeq. Quare de his nihil certi ſtatui poteſt. Casaubon.

4. *Mea interceſſio*] Paratus ſum vobis medius & proxenetes. Grævius.

5. *De C. Macro*] Hic eſt C. Licinius Macer, amicus & familiaris Craſſi: imò, ut puto, cognatus. Certè ex gente Licinia & Macri & Craſſi ſunt propagati. Poſtulabatur autem repetundarum, cujus criminis pœna erat litis æſtimatio, & exilium. Ex hoc autem loco colligimus Ciceronem cum Prætura etiam quæſtionem repetundarum exercuiſſe. Casaubonus.

6. *Cui cùm æqui fuiſſemus*] Indicat ſe cum Macro egiſſe non ſtricto jure, ſed æquitate ſummâ uſum, ut ex hoc judicio duplicem meritò laudem ſit conſecutus, quod paucis accidit, ſeveritatis & æquitatis. Idem.

7. *Academiæ*] Gymnaſii inferioris in Tuſculano. *Tuſc.* 2. Idem.

8. *Hermes commune omnium*] Apparet ex lege Solonis, quam profert in Timarchen Æſchines, in omnibus palæſtris Mercurium ita cultum fuiſſe, ut in διδασκαλείοις colebantur Muſæ. Idem.

ſigne ejus gymnaſii. Quare velim, ut ſcribis, cæteris quoque rebus quàm plurimis eum locum ornes. Quæ mihi antea ſigna miſiſti, ea nondum vidi. In Formiano ſunt; quo ego nunc proficiſci cogitabam. Illa omnia in Tuſculanum deportabo. Caietam, ſi quando abundare cœpero, ornabo. Libros tuos [9] conſerva; & noli deſperare, eos me meos facere poſſe. Quod ſi aſſequor, ſupero Craſſum divitiis, atque omnium [10] vicos, & prata contemno.

9. *Conſerva*] Quia ſe venditurum Atticus ſignificaverat. Infrà, ep. 7. & 11. MAN.

10. *Vicos*] *Vicum* vulgò accipiunt pro via publica, & quod Galli *rue* dicimus, magno errore. Nam vicus eſt συνοικία, hoc eſt, domus aliquot conjunctim ædificatæ. Hac ratione diviſa olim Roma in regiones XIV., vicos verò penè infinitos. Hi ſunt vici urbani; ſed ſunt & pagani, cùm in agris plures villæ conjunctim extruuntur. Sic igitur hîc omnium *vicos*, hoc eſt, *villas* ἀπὸ πασῶν ἐξ ἁπάντων, ut loquitur Homerus. *Vicus* pro villa, ſicut hodie vulgò *village*. Sic enim dicimus *aller au village d'un tel*, ἀνὰ in eum vicum, ubi ejus eſt villa. CAS.

CICERO ATTICO SAL.

5 QUANTUM dolorem acceperim, & quanto fructu ſim privatus & forenſi, & domeſtico, Lucii [1] fratris noſtri morte, in primis pro noſtra conſuetudine tu exiſtimare potes. Nam mihi omnia, quæ jucunda [2] ex humanitate alterius & moribus homini accidere poſſunt, ex illo accidebant. Quare non dubito, quin tibi quoque id moleſtum ſit, cùm & meo dolore moveare, & ipſe omni virtute officióque ornatiſſimum, tuíque & ſua ſponte, & meo ſermone amantem, [3] affinem, amicúmque amiſeris. Quod ad me ſcribis [4] de ſorore tua, teſtis erit tibi

1. *Fratris noſtri*] Parens ejus L. Tullius, fuit frater M. Tullii, qui pater erat hujus noſtri M. Tullii & Quinti fratrum. GRÆVIUS. Hæc epiſtola omnium prima ſcripta eſt, cùm mortuus eſſet L. Tullius Cicero frater patruelis Ciceronis, qui erat ingenio ſuaviſſimo, & quem maximopere Cicero lib. v. de Finib. & lib. 11. de Orat. commendat. Scripta eſt biennio ante Conſulatum Ciceronis, & biennio poſt quam ab Attico diverterat. MURET.

2. *Ex humanitate alterius & moribus*] Poteſt eſſe ἐν λόγ. δυοῖν, ἀνὰ humanis moribus. *Humanitas* apud Ciceronem non id tantùm ſignificat, quod Græci φιλανθρωπίαν vocant, ſed etiam quam Plato vocat εὐαρμοστίαν τῆ τρόπων, & gravitati eam opponit. CASAUBONUS.

3. *Affinem*] Propter Pomponiam Q. fratris uxorem. CORRADUS.

4. *De ſorore tua*] Pomponia Q. fratris uxore. Ep. ſeq. & ep. 1. lib. v. IDEM.

5. *Miſi*] Erat enim Quintus in agro Arpinati. Epiſt. 6. MANUTIUS.

6. *Ut minorem*] Natu. CORRADUS.

7. *De literarum miſſione ſine cauſa abs te accuſor*]

tibi ipsa, quantæ mihi curæ fuerit, ut Quinti fratris animus in eam esset is, qui esse deberet: quem cùm esse offensiorem arbitrarer, eas literas ad eum [5] misi, quibus & placarem ut fratrem, & monerem ut [6] minorem, & objurgarem ut errantem. Itaque ex iis, quæ postea sæpe ab eo ad me scripta sunt, confido ita esse omnia, ut & oporteat, & velimus. [7] De literarum missione sine causa abs te accusor. Nunquam enim à Pomponia nostra certior sum factus, esse cui literas dare possem. Porrò autem neque mihi accidit ut haberem, qui in Epirum proficisceretur: neque dum te Athenis esse audiebamus. De [8] Acutiliano autem negotio quod mihi mandaras, ut primùm à tuo digressu Romam veni, confeceram: sed accidit, ut & contentione nihil opus esset, & ego, qui in te satis consilii statuerim esse, mallem Peduceum tibi consilium per literas, quàm me dare. Etenim [9] cùm multos dies aures meas Acutilio dedissem; cujus sermonis genus tibi notum esse arbitror; non mihi grave duxi scribere ad te de illius querimoniis, cùm eas audire, quod erat subodiosum, leve putassem. Sed abs te ipso, qui me accusas, unas mihi scito literas redditas esse, cùm & otii ad scribendum plus, & facultatem dandi majorem habueris. Quod scribis, etiam si cujus animus in te esset offensior, à me recolligi oportere; [10] quid dicas: neque id neglexi: sed est miro quodam modo [11] affectus. Ego autem, quæ dicenda fuerunt de te, non præterii. Quid autem [12] contendendum esset, ex tua putabam [13] voluntate statuere oportere: quam si ad me perscripseris, intelliges me neque diligentiorem esse voluisse, quàm

---

accusor] *Intermissione* legebat Petrus Bembus Cardinalis, pro *missione* Ursinus. Sic & legendum existimat Muretus.

8. *Acutiliano*] Vide pag. 45.

9. *Cùm multos dies aures Acutilio dedissem*] Cicero dicit molestam sibi fuisse loquacitatem & dicacitatem Peducei, quam tamen molestiam in Pomponii gratiam patienter devoravit. Muretus.

10. *Quid dicas*] Sic legendum sine interrogationis nota. Est enim locutio ecliptica, in qua desideratur verbum intelligo, vel video, scilicet te rursus me accusare negligentiæ in eo quòd Lucceium tibi non reconciliavi: quod ipsum tamen minimè neglexi. Ep. 7. & 11. Popma. Quid dicas est *vide quid dicas*, si me negligentiæ insimulare velis. Muretus.

11. *Affectus*] Lucceius est animo abalienato, neque satis declarat, quid causæ subsit: tectus est, non aperire vult quæ res animum suum abalienarit. Muretus.

12. *Contendendum*] Balliolenses membranæ non ineptè: *quid autem concedendum esset*: in iis quæ petebat Lucceius, propter quæ simultates illæ inter Atticum & Lucceium erant ortæ. Grævius.

13. *Voluntate statuere oportere*] Edendum curavi, *me statuere oportere*, codicis Turnæsiani scripturæ vestigium secutus. Lamb.

quàm tu eſſes, neque negligentiorem fore, quàm tu velis. [14] De Tadiana re, mecum Tadius locutus eſt, te ita ſcripſiſſe, nihil eſſe jam, quod laboraretur, quoniam hereditas uſucapta eſſet. Id mirabamur te ignorare, de tutela legitima, in qua dicitur eſſe puella, nihil uſucapi poſſe. [15] Epiroticam emptionem gaudeo tibi placere. Quæ tibi [16] mandavi, & quæ tu intelliges convenire noſtro Tuſculano, velim, ut ſcribis, cures, quod ſine moleſtia tua facere poteris. Nam nos ex omnibus moleſtiis & laboribus uno illo in loco conquieſcimus, [17] quo fratrem quotidie expectamus. Terentia magnos articulorum dolores habet, & te, & ſororem tuam, & matrem maximè diligit, ſalutémque tibi plurimam adſcribit, & Tulliola, delitiæ noſtræ. Cura, ut valeas, & nos ames; & tibi perſuadeas, te à me fraternè amari.

14. *De Tadiana re*] Hereditatem quandam, quæ puellæ obvenerat, cùm eſſet in agnatorum tutela, Tadius biennium, aut diutiùs poſſederat, quoad ſatis eſſet ad inducendam ejus hereditatis uſucapionem. Eam hereditatem cùm à Tadio puellæ agnati, qui tutelam ejus gerebant, repeterent, Atticus eam uſucaptam putabat. Cicero verò mirabatur ignoraſſe Atticum in hujuſmodi re uſucapionem procedere nequiviſſe, cùm de tutela, id eſt, de re pupilli pupillæve, nihil uſucapi poſſet. Nam cùm res pupillorum nequeant ſine decreto alienari, fatendum eſt non poſſe quoque uſucapi. Bosius.

15. *Epiroticam emptionem*] In Epiro circa Buthrotum habuit prædia Atticus, quorum in his epiſtolis paſſim fit mentio, & Nepos in vita. Ea prædia quando emerit Atticus, hinc colligi poteſt. Casaubonus.

16. *Mandavi*] De ſignis. Epiſt. 2. 3. &c.

17. *Quo*] Boſius Baluzianus, non *quo*, ſed *Q.* ita ut legendum ſit, *conquieſcimus. Q. fratrem.* &c.

Cicero Attico Sal.

6 Non committam poſthac ut me accuſare de epiſtolarum negligentia poſſis. Tu modò videto in tanto otio [1] ut par mihi ſis. [2] Domum Rabirianam Neapoli, quam tu jam dimenſam, & exædificatam animo habebas, M. Fonteius emit H-S cccIↃↃↃ xxx. Id te ſcire volui, ſi quid fortè ea res ad cogitationes tuas pertineret. [3] Q. frater, ut mihi videtur, quo volumus animo eſt in Pomponiam, & cum ea nunc in Arpinatibus

1. *Ut par mihi ſis*] Boſius Baluzianus: *ut par in hoc mihi ſis.*

2. *Domum Rabirianam*] Quæ fuit C. Rabirii, quem poſtea perduellionis reum Cicero Cos. defendit. Corradus.

3. *Q. frater*] Vide ſuper. epiſt.

natibus prædiis erat, & secum habebat [4] hominem χρησομαθῆ, D. Turranium. [5] Pater nobis decessit a. d. VIII. Kal. Decembr. Hæc habebam ferè, quæ te scire vellem. Tu velim, si qua ornamenta [6] γυμνασιώδη reperire poteris, quæ loci sint ejus, quem tu non ignoras, ne prætermittas. Nos Tusculano ita delectamur, ut nobismetipsis tum denique, cùm illò venimus, placeamus. Quid agas omnibus de rebus, & quid acturus sis, fac nos quàm diligentissimè certiores.

4. *Hominem* χρησομαθῆ] Bonis præceptis refertum, qui ea didicit quæ usui sunt, & quæ hominem reddunt χρηστὸν, hoc est frugi, & bonum. Casaubonus.

5. *Pater*] M. Tullius Cicero, *lib.* 2. *de Orat.* qui, cùm esset infirmâ valetudine, in Arpinati ferè ætatem egit in literis, *lib.* 2. *de Leg.* &, dum filius Consulatum petebat, decessit. *Ascon.* Corradus. Vide Fr. Fabricium, *Histor. Cicer.*

6. *Γυμνασιώδη*] Quæ gymnasii sint, illíque loco præcipuè conveniant. Quod etiam inquit in epistola ad Fabium Gallum: *Ea enim signa ego emere soleo, quæ ad similitudinem gymnasiorum exornent mihi in palæstra locum.* Victorius.

Cicero Attico Sal.

7

Apud [1] matrem rectè est, eáque nobis curæ est. L. Cincio H-S xxcd constitui me curaturum Idibus Febr. Tu velim ea, quæ nobis emisse & parasse scribis, des operam ut quamprimùm habeamus: & velim cogites, id quod mihi pollicitus es, quemadmodum bibliothecam nobis conficere possis. Omnem spem delectationis nostræ, quam, cùm in otium venerimus, habere volumus, in tua humanitate positam habemus.

1. *Apud matrem rectè est*] Mater tua bene valet. Amisit eam nonagenariam, cùm ipse natus esset annos sexaginta septem. Muretus.

Cicero Attico Sal.

8

Apud te est ut volumus. Mater tua, & soror à me, Quintóque fratre diligitur. Cum Acutilio sum locutus. Is sibi negat à suo procuratore quidquam scriptum esse, & [1] miratur istam controversiam fuisse; quòd ille recusarit satisdari, amplius

1. *Miratur istam controversiam*] Hoc est, causam ejus rei non videt, & vix credere potest. Tacitè innuit Cicero Atticum videri Acutilio quæsiviisse occasionem differendæ solutionis. Casaubonus. De satisdatione dictum Orat. pro Quintio.

abs te non peti. Quod te de Tadiano negotio [2] decidiſſe ſcribis; id ego Tadio & gratum eſſe intellexi, & magnopere jucundum. Ille noſter [3] amicus, vir mehercule optimus, & mihi amiciſſimus, ſanè tibi iratus eſt. Hoc ſi quanti tu æſtimes ſciam, tum, quid mihi elaborandum ſit, ſcire poſſim. L. Cincio H-S ccIↃↃ ccIↃↃ cccc pro ſignis Megaricis, ut tu ad me ſcripſeras, curavi. Hermæ tui [4] Pentelici cum capitibus æneis, de quibus ad me ſcripſiſti, jam nunc me admodum delectant. Quare velim, & eos, & ſigna, & cætera, quæ tibi ejus loci, & noſtri ſtudii, & tuæ elegantiæ eſſe videbuntur, quàm plurima, quàm primumque mittas, & maximè quæ tibi gymnaſii, [5] xyſtique videbuntur eſſe. Nam in eo genere ſic ſtudio efferimur, ut abs te adjuvandi, ab aliis propè reprehendendi ſimus. Si Lentuli navis non erit, quò tibi placebit, imponito. Tulliola, deliciolæ noſtræ, tuum munuſculum flagitat, & me, ut ſponſorem, appellat. Mî autem [6] abjurare certius eſt, quàm dependere.

2. *Decidiſſe*] *Decidere* ſæpè eſt, tranſigere cum adverſario ſine judice. Græv.

3. *Amicus*] L. Lucceius. Epiſt. 9. h. l.

4. *Pentelici*] Erant ſtatuæ è marmore Pentelico; quod ita dictum fuit, vel quia erat quinque nigricantibus maculis ſive lineis diſtinctum, auctore Suida; vel quòd è Pentelico monte Atticæ excidebatur, ut refert Pauſanias. Popma.

5. *Xyſti*] Vitruvius, V. 2. & VI. 9.

6. *Abjurare certius eſt*] Malo cum perjurio infitiari me ſponſorem eſſe, quàm præſtare munuſculum quod te illi miſſurum promiſiſti. *Abjurare* verbum forenſe eſt, & rem creditam vel promiſſam perjurio negare ſignificat, ut ſcribit Servius. Plaut. Curculione, *Qui abjurant ſi quid creditum eſt.* Popma.

Cicero Attico Sal.

9 Nimium rarò nobis abs te literæ afferuntur: cùm & multò tu faciliùs reperias, qui Romam proficiſcantur, quàm ego, qui Athenas: & certius tibi ſit, me eſſe Romæ, quàm mihi, te Athenis. Itaque propter hanc dubitationem meam brevior hæc ipſa epiſtola eſt: quòd cùm incertus eſſem ubi eſſes, nolebam illum noſtrum familiarem ſermonem in alienas manus devenire. Signa Megarica, & Hermas, de quibus ad me ſcripſiſti, vehementer expecto. Quidquid ejuſdem generis habebis, dignum Academiâ tibi quod videbitur, ne dubitaris mittere,

1. *Arcæ noſtræ*] Ex qua præſentem pecuniam numerare poſſum. Bosius.

tere, & [1] arcæ noſtræ confidito. Genus hoc eſt voluptatis meæ quæ γυμνασιώδη maximè ſunt, ea quæro. Lentulus naves ſuas pollicetur. Peto abs te, ut hæc cures diligenter. Chilius te rogat, & ego ejus rogatu, [2] εὐμολπιδῶν πάτρια.

2. Εὐμολπιδῶν πάτρια] *Eumolpidarum ritus patrios.* Non eſt ut hîc intelligantur ritus illi ſecretiores, qui tantùm myſtis noti erant, & ſine capitis periculo vulgari non poterant, ſed illa ſacra & cæremoniæ, quibus in Eleuſiniis celebrandis utebantur in omnium ocalis Eumolpidæ, quáſque poëtæ & priſci ſcriptores alii commemorant paſſim; aut fortè per *Eumolpidas* intelligit tectè ipſos Athenienſes, ut petierit Chilius Athenienſium leges & diſciplinam ſibi deſcribi & mitti. Grævius.

Cicero Attico Sal.

Cum [1] eſſem in Tuſculano, (erit hoc tibi pro illo tuo, *Cùm eſſem in Ceramico*) veruntamen cùm ibi eſſem, Româ puer à ſorore tua miſſus, epiſtolam mihi abs te allatam dedit, nuntiavitque, eo ipſo die poſt meridiem iturum eum, qui ad te proficiſceretur. Eo factum eſt, ut epiſtolæ tuæ reſcriberem aliquid; brevitate temporis tam pauca cogerer ſcribere. Primùm tibi [2] de noſtro amico placando, aut etiam planè reſtituendo polliceor. Quod ego, etſi meâ ſponte antè faciebam, eò nunc tamen & agam ſtudioſiùs, & contendam ab illo vehementiùs, quòd tantam ex epiſtola voluntatem ejus rei tuam perſpicere videor. Hoc te intelligere volo, pergraviter illum eſſe offenſum: ſed quia nullam video gravem ſubeſſe cauſam, magnopere confido illum fore in officio, & in noſtra poteſtate. Signa noſtra, & [3] Hermeraclas, ut ſcribis, cùm commodiſſimè poteris, velim imponas, & ſi quod aliud [4] οἰκεῖον ejus loci, quem non ignoras, reperies, & maximè, quæ tibi palæſtræ gymnaſiique videbuntur eſſe. Etenim ibi ſedens hæc ad te ſcribebam, ut me locus ipſe admoneret. Præterea [5] typos tibi mando, 10

G 2

1. *Cùm eſſem in Tuſculano*] Atticus hoc epiſtolæ principio uſus erat, *Cùm eſſem in Ceramico*: quem Cicero imitatus, & ipſe ita cœpit, Cùm eſſem in Tuſculano. Manutius. Vide de duplici *Ceramico* libellum Cl. Joannis Meurſii. Grævius.

2. *De noſtro amico*] L. Lucceio.

3. *Hermeraclas*] Imagines Mercurii, & Herculis, quibus Athenienſes ſtatuas in gymnaſiis ponebant. *Athen.* l. 13. Corr.

4. Οἰκεῖον] Proprium, accommodatum ad naturam.

5. *Typos*] *Typi* ſunt imagunculæ, effigies, ac formæ hominum & aliarum rerum, quas variis fictas ſpeciebus in tectorio exculptis ſedibus Cicero volebat includere, atque ita ipſum tectorium incruſtare: quod etiam hodiéque ad ornatum parietum faciunt.

Plinius

do, quos in tectorio atrioli possim includere, & putealia sigillata duo. [6] Bibliothecam tuam cave cuiquam despondeas, quamvis acrem amatorem inveneris: nam ego omnes meas [7] vindemiolas eò reservo, ut illud subsidium senectuti parem. De fratre, confido ita esse, ut semper volui & elaboravi. Multa signa sunt ejus rei; non minimum, quòd soror [8] prægnas est. De comitiis meis, & tibi me [9] permisisse memini, & ego jampridem hoc communibus amicis, qui te expectant, prædico. Te non modò non arcessam, sed prohibebo; quòd intelligam multo magis interesse tua, te agere, quod agendum est hoc tempore, quàm mea, te adesse comitiis. Proinde eo animo te velim esse, quasi mei negotii causâ in ista loca missus esses. Me autem eum & offendes erga te, & audies, quasi mihi, si qua parta erunt, non modò te præsente, sed per te parta sint. Tulliola tibi [10] diem dat, [11] sponsorem non appellat.

Plinius lib. XXXV. *Impressa argilla typum fecit, & cum cæteris fictilibus induratum igni proposuit.* Mox infrà, *Putealia sigillata* sunt puteorum opercula, quibus parva signa affixa, ut *scyphi sigillati*, in Verrem. POPMA.

6. *Bibliothecam tuam*] Venalem scilicet, quam tibi pueri tui confecerunt, quæstûs causâ. Complures enim Atticus librarios habuit, unde fructum perciperet. *Nepos* in ejus vita. MALASPINA.

7. *Vindemiolas*] Quidquid pecuniæ possumus hinc inde contrahere. MANUTIUS.

8. *Prægnas*] Pro *prægnans*. Vox *prægnas & damnas*, quæ apud Jurisconsultos sæpè legitur, sunt veteris linguæ reliquiæ. Sic *sanas* unde *sanates* Gellio, XVI, 10. CASAUBONUS. *Prægnas*, si Probo credimus, scribendum est. Is enim in suis Catholicis ita scribit: *Gnas, tertiæ sunt declinationis: tis faciunt Genitivo, ut* prægnas, *prægnatis.* Ubi in scriptura mendum esse non potest. MALASPINA.

9. *Permisisse*] Ut eorum causâ Romam ne venias. Et de comitiis accipe non consularibus, sed prætoriis. MANUTIUS.

10. *Diem dat*] *Dare diem* est constituere diem solutioni, quæ si tum non repræsentatur, potest is cui dies datus est à creditore in jus vocari. GRÆVIUS.

11. *Sponsorem non appellat*] Antea, quòd tu ei promissum munusculum non mitteres, me sponsorem appellabat; nunc sponsorem omittit; te ipsum in judicium vocat: itaque faciundum tibi est, ut promissum omnino solvas. In vulgatis libris, *Sponsorem appellat*, legebatur. Ego negantem particulam interjeci, sumptam ex antiquo Bessarionis exemplari, sententiâ, mihi quidem ut videtur, mirificè comprobante. MANUTIUS.

CICERO ATTICO SAL.

II ET meâ sponte faciebam antea, & pòst, duabus epistolis tuis perdiligenter in eandem rationem scriptis magnopere sum commotus. Eò accedebat hortator assiduus Sallustius, ut agerem quàm diligentissimè cum Lucceio de vestra vetere gratia

tia reconcilianda. Sed, cùm omnia feciſſem, non modò eam voluntatem ejus, quæ fuerat erga te, recuperare non potui, verùm ne cauſam quidem elicere immutatæ voluntatis. Tametſi jactat ille quidem [1] illud ſuum arbitrium, & ea, quæ, jam tum cùm aderas, offendere ejus animum intelligebam; tamen habet quiddam profectò, quod magis in animo ejus inſederit: quod neque epiſtolæ tuæ, neque noſtra [2] allegatio tam poteſt facilè delere, quàm tu præſens non modò oratione, ſed tuo vultu illo familiari tolles; ſi modò tanti putabis id: quod, ſi me audies, &, ſi humanitati tuæ conſtare voles, certè putabis. Ac, ne illud mirere, cur, cùm ego antea ſignificarem tibi per literas, me ſperare illum in noſtra poteſtate fore, nunc idem videar diffidere; incredibile eſt, quanto mihi videatur illius voluntas obſtinatior, & in hac iracundia obfirmatior: ſed hæc aut ſanabuntur, cùm veneris; [3] aut ei moleſta erunt, in utro culpa erit. Quod in epiſtola tua ſcriptum erat, me jam arbitrari [4] deſignatum eſſe; ſcito, nihil tam exercitum eſſe nunc Romæ, quàm

1. *Illud ſuum arbitrium*] Al. *Illud tuum arbitrium*. Corradus. Ac bene quidem, *tuum*. Vide Caſaub. ad epiſt. 3.

2. *Allegatio*] Hoc eſt, ſubmiſſio, aut ſubornatio. Sum enim à te ſubmiſſus ut te apud ipſum in gratiam ponerem. *Allegare* dicitur ille qui ſubmittit aliquem ad aliquid clanculum perficiendum. Sic *allegare teſtem*. Terent. Andr. *Ne credas me allegatum*, hoc eſt, ne credas me ſubornatum. Grævius.

3. *Aut ei moleſta erunt, in utro culpa erit*] Ciceroni à quibuſdam nimis gravis dica dicitur propter hæc verba: quorum non eſt ſententia, Lucceio creandam moleſtiam, uter etiam ex illis auctor extiterit culpæ & offenſæ, ſive injuriam alteri fecerit. Sed hic, ni fallunt me omnia, eſt ſenſus, moleſtiam fore imponendam illi, in quo futura ſit culpa, quo minùs iterum poſſint redire invicem in gratiam. J. A. Fabricius, *Bibl. Lat. lib. 1. cap. 8.* Scripſit hoc, opinor, Cicero, ut Epicureum Attici torporem excitaret. Volebat ille quidem reconciliari cum Lucceio, ſed alienâ Ciceronis atque amicorum operâ, nullâ ſuâ. Id, quod ex epiſtola hujus libri quinta intelligi poteſt, itémque ex decima. Fruſtrà ergo ii, quos Fabricius deſignat, Ciceronem traducebant, utì perfidioſum hominem atque improbum, qui polliceretur facturum ſe ſuis artibus, ut hujus offenſionis culpa omnis atque invidia in Lucceium, quo jure, quâ injuriâ, derivaretur. Aiunt Ciceronem ita ſcribere, ut Attico plus tribuat, quàm Lucceio. Quid tamen ſcribere poterat magis ex æquitate, quàm iſtud? In utrolibet culpa erit, illi erit moleſtia. Tum nihil in tribus eſt epiſtolis, unde colligas, falsò queri Lucceium: ſunt autem multa, quæ ſignificent, profectam eſſe ab Attico gravem injuriam. Olivet.

4. *Deſignatum eſſe*] Magna fuit diſcrepantia inter P. Manutium, ac Corradum. Hic putabat agi de Conſulatu Ciceronis, Manutius autem de prætura. Ego inter amicos non ſoleo me arbitrum interponere. Hoc loco accipio Ciceronem Conſulem eſſe deſignatum. Muretus. Faciunt cum Manutio Caſaubonus & Mongaltus: de quorum ſententia nos in laterculo chronologico hanc epiſtolam diximus fuiſſe ſcriptam anno Urbis 686. Olivetus.

candidatos, omnibus iniquitatibus; nec quando futura ſint comitia ſciri. Verùm hæc audies de Philadelpho. Tu velim, quæ Academiæ noſtræ paraſti, quamprimùm mittas. Mirè quàm illius loci non modò uſus, ſed etiam cogitatio delectat. Libros verò tuos cave cuiquam tradas. Nobis eos, quemadmodum ſcribis, conſerva. Summum me eorum ſtudium tenet, ſicut odium jam cæterarum rerum: quas tu incredibile eſt quàm brevi tempore quanto deteriores offenſurus ſis, quàm reliquiſti.

CICERO ATTICO SAL.

12 TEucris [1] illa lentum ſanè negotium: neque [2] Cornelius [3] ad Terentiam poſtea rediit. Opinor, ad Conſidium, Axium, Selicium confugiendum eſt. Nam à Cæcilio propinqui [4] minore [5] centeſimis nummum movere non poſſunt. Sed, ut ad prima illa redeam, nihil ego [6] illâ impudentius, aſtutius, lentius vidi. [7] Libertum mitto; Tito mandavi; σκήψεις, atque ἀνα-

1. *Teucris illa*] Conſtat hoc nomine ſignificari C. Antonium collegam Ciceronis in Conſulatu. Bosius. Cur verò Antonius ita ſit appellatus ἐν τῷ αἰνίγματι, multa quidem adducunt interpretes, quæ ſi ſcias, nihil ſcias. Olivetus

b. *Cornelius*] Affinis P. Sextii, qui tunc Quæſtor erat C. Antonii in Macedonia: epiſt. 6. lib. v. fam. Cornelius igitur Romæ cùm eſſet, hoc negotium fortaſſe curabat. Corradus.

3. *Ad Terentiam*] Totius loci hujus de Antonio hæc eſt ſententia. Antonius, lentè ſolvit, & me fruſtratur his verbis, *Libertum mitto* qui tibi numeret, *Tito* Attico *mandavi* ut ipſe meo nomine ſolveret: quæ revera ſunt excuſationes atque dilationes. Sed neque *Cornèlius* ab illo allegatus ad Terentiam, cùm ſpem ſolutionis feciſſet, ad eam poſteà rediit. Itaque oportet me confugere ad *Axium*, *Conſidium*, *Selicium*, fœneratores, & ab illis pecuniam ſumere. Nam *Cæcilius* tam durus fœnerator eſt, ut ab eo nec ipſius propinqui nummum habere poſſint, niſi pendant *centeſimas* uſuras, id eſt, in anno duodenos nummos pro centenis. Veruntamen quòd tam lentè ſolvit Antonius, bene cadit, ut non tenear eum defendere, cùm reus repetundarum agetur. Nam præcurſores quos Pompeius ex bello Mithridatico revertens celeri curſu præmiſit, nuntiant Pompeium acturum in Senatu, ut Antonius è provincia revocetur ob pecunias à ſociis injuſtè exactas, & ad populum, ut Romam ad cauſam de repetundis dicendam veniat. Popma.

4. *Minore movere*] Eſt, minore fœnore movere, quàm centeſimis.

5. *Centeſimis*] Non ab annua, ſed à menſtrua ſolutione *centeſimæ* dictæ uſuræ, quia ſingulis menſibus centeſima pars ſortis pendebatur, quæ, ſecundùm noſtrorum temporum rationem & loquendi conſuetudinem, duodecim in annum faciunt: veteres enim in uſurarum ratione menſtrua tempora obſervabant, non, ut nunc, annua. Vide J. F. Gronovium, lib. III. de Pec. Vet. cap. 13. Grævius.

6. *Illa*] Teucride, ſcilicet Antonio.

7. *Libertum mitto: Tito mandavi*] Verba ſunt non Ciceronis, ut quidam exiſtimant, ſed Antonii, qui ſolvendæ pecuniæ diem produceret his verbis: *Libertum mitto;*

ἀναβολαὶ. Sed [8] neſcio an ταυτόματον ἡμῶν. Nam mihi [9] Pompeiani prodromi nuntiant, apertè Pompeium [10] acturum, Antonio ſuccedi oportere: eodémque tempore [*11] aget Prætor ad populum. Res ejuſmodi eſt, ut ego nec per bonorum, nec per popularem exiſtimationem honeſtè poſſim hominem defendere; nec mihi libeat, quod vel maximum eſt. Etenim accidit hoc, quod totum cujuſmodi ſit, mando tibi, ut perſpicias. Libertum ego habeo, ſanè nequam hominem, Hilarum dico, [12] ratiocinatorem, & [13] clientem tuum. De eo mihi [14] Valerius interpres nuntiat, Chiliúſque ſe audiſſe ſcribit hæc; eſſe hominem cum Antonio; Antonium porrò [15] in cogendis pecuniis dictitare, partem mihi quæri, & à me cuſtodem communis quæſtûs libertum eſſe miſſum. Non ſum mediocriter commotus: neque tamen credidi: ſed certè aliquid ſermonis fuit. Totum inveſtiga, cognoſce, perſpice, & nebulonem illum, ſi quo pacto potes, ex iſtis locis amove. Hujus ſermonis Valerius auctorem Cn. Plan-

---

mitto; ſubaudi, qui numeret: *Tito mandavi*; ut ſcilicet ipſe tibi pro me ſatisfaceret. Antonii igitur, σκήψεις hæc ſunt, atque ἀναβολαὶ, id eſt, tergiverſationes, & dilationes. Manutius.

8. *Neſcio, an* ταυτόματον ἡμῶν] Antonius, inquit, non ſolvit: ſed hoc optimè cadit, ut deinde ejus defendendi cauſa mihi nulla ſit. Et ſpectavit fortaſſe ad illum verſiculum, qui eſt in Græcis ſententiis, ταυτόματον ἡμῶν καλλίων βελεύει, *Caſus melius, quam nos, conjuluit.* Magis è re noſtra eſt, eum non ſolvere, quàm ſi, quod volebamus, ſolveret. Quod caſu, non conſilio noſtro, fit. Idem.

9. *Pompeiani prodromi*] Quos Pompeius, ex bello Mithridatico revertens, celeri curſu præmittit. Idem.

10. *Acturum*] In ſenatu. Idem.

11. *Aget prætor ad populum*] Ut Romam evocetur ad cauſam de repetundis dicendam, quòd ſocios diripuerit. Nec tamen hoc anno, id eſt Piſone, & Meſſalla coss ſed biennio pòſt, id eſt Cæſare, & Bibulo coss. cauſam dixit C. Antonius. Quod è Suetonio, & orat. pro domo planum fit. Id.

12. *Ratiocinatorem*] Qui tractabat rationum libros, cùm mihi ſerviret ſervitutem: vel quia nunc eſt ratiocinator Antonii. Casaubonus.

13. *Clientem tuum*] Notabis ex iſto loco videri moris fuiſſe, ut ſervi, cùm libertate donarentur, optarent & eligerent patronum, in cujus clientela eſſent futuri ex jure civium Romanorum. Atque hinc notabis duplicem patronum diverſo reſpectu eundem habuiſſe: alterum habebat ut libertus, alterum ut cliens. Sunt enim relata inter ſe patronus libertus, & patronus, cliens. Idem.

14. *Valerius interpres*] Putant quidam eſſe hunc P. Valerium, cujus mentio epiſt. 2. lib. XIV. ad famil. Peritum ſanè linguarum fuiſſe oportet, qui in ſenatu orationes legatorum peregrè advenientium interpretaretur. Nam id fuiſſe ejus munus videtur. Id.

15. *In cogendis pecuniis*] Ego puto Antonium ſub cellæ nomine magnam pecuniam coegiſſe, hócque uſum eſſe prætextu apud amicos, partem hujus pecuniæ deberi Ciceroni, quòd hanc ei promiſerit, cùm ſibi provinciam, quam ſortitus erat Cicero, cederet. Notum enim eſt hoc Ciceronem feciſſe, cùm tempore conſpirationis Catilinariæ Collegæ animum ſibi adjungeret. Grævius.

Plancium nominabat. Mando tibi planè, totum ut videas cujusmodi sit. Pompeium nobis amicissimum constat esse. [16] Divortium Muciæ vehementer probatur. P. Clodium, Appii filium, credo te audisse, cum veste muliebri deprehensum domi C. Cæsaris, cùm pro populo fieret, eúmque per manus [17] servulæ servatum, & eductum; rem esse insigni infamiâ: quod te molestè ferre certò scio. Quid præterea ad te scribam, non habeo. Et mehercule eram conturbatior: nam puer festivus, anagnostes noster, Sositheus decesserat, méque plus, quàm servi mors debere videbatur, commoverat. Tu velim sæpe ad nos scribas. Si rem nullam habebis, quod in buccam venerit scribito. Kal. Januar. M. Messala, M. Pisone Coss.

16. *Divortium*] Quod Pompeius ex bello Mithridatico rediens fecit cum *Mucia* Q. Mucii Scævolæ filia, ob suspicionem adulterii cum C. Cæsare commissi. Popma.

17. *Servulæ*] Alii *Serviliæ*, alii aliter. Sed nugas omittamus.

Cicero Attico Sal.

13 Accepi [1] tuas tres jam epistolas, unam à M Cornelio, quam tribus Tabernis, ut opinor, ei dedisti; alteram, quam mihi Canusinus tuus hospes reddidit; tertiam, quam, ut scribis, ancorâ solutâ de phaselo dedisti. Quæ fuerunt omnes rhetorum. Purè loquuntur, cùm humanitatis sparsæ sale, tum

1. Venisse Romam Atticum vocatu Ciceronis futuri Consulis suprà sæpe dictum. Videtur in Urbe fuisse totum annum consulatus Ciceronis, & sequente quoque, sub cujus finem abiit Româ in Epirum. Ex illo itinere datas ab ipso literas ad Ciceronem, quoties offerretur occasio, apparet ex hac epistola: ex qua etiam liquet superiorem à Cicerone scriptam esse ad Atticum, cùm adhuc in itinere esset: videtur enim Atticus lentè in hoc itinere ambulasse, vel pluribus locis subsitisse. Casaub.

2. *Pellectione relevarit*] Nam solent literas in itinere aliqui reserare, & inspicere, quibus graves videntur, nisi eas leviores reddiderint: cùm legunt, tum enim videntur esse leviores. Hoc est, quod dicit se non invenire *fidelem tabellarium*, qui rectè eas perferat. Nam multos esse qui epistolam paulò graviorem ferre non possint. Muret.

3. *Cæsis apud Amaltheam*] Jocatur, Atticum facto sacrificio in Achaiam ad exigendam à Sicyoniis pecuniam debitam profectum, tanquam Imperatorem ad bellum. *Amalthea*, sive *Amaltheum*, erat villa Attici in Epiro, fortè à copia rerum omnium dicta, quasi capra *Amalthea*. Popma.

4. *Ad Sicyonem*] Sicyonios debitores tuos, ep. 16. h. l. *Sicyonem* in Macedonia ponit Plaut. in Pseud. Corradus.

5. *Oppugnandum*] Ut nummos exprimas. Ibid. Est μεταφορὰ. Idem.

6. *Ad Antonium proficiscare*] Cum literis in quibus te illi commendo, ep. 5. lib. V. Fam. Unde illi postea gratias egit, ep. 13. h. l. Idem.

7. *Rogatum*] A M. Pisone Cos. Idem.

8. *Pacificatorem Allobrogum*] C. Calpurnium

tum insignes amoris notis. Quibus epistolis sum equidem abs te lacessitus ad scribendum; sed idcirco sum tardior, quòd non invenio fidelem tabellarium. Quotus enim quisque est, qui epistolam paulò graviorem ferre possit, nisi eam [2] pellectione relevarit? Accedit eò, quòd mihi non est notum, ut quisque in Epirum proficiscatur. Ego enim te arbitror, [3] cæsis apud Amaltheam tuam *victimis*, statim esse [4] ad Sicyonem [5] oppugnandum *profectum*. Neque tamen id ipsum certum habeo, quando [6] ad Antonium proficiscare, aut quid in Epiro temporis ponas. Ita neque Achaicis hominibus, neque Epiroticis paulò liberiores literas committere audeo. Sunt autem post discessum à me tuum res dignæ literis nostris, sed non committendæ ejusmodi periculo, ut aut interire, aut aperiri, aut intercipi possint. Primùm igitur scito, primum me non esse [7] rogatum sententiam, præpositúmque esse nobis [8] pacificatorem Allobrogum, idque [9] admurmurante Senatu, neque me invito esse factum. Sum enim & ab observando [10] homine perverso liber, & ad dignitatem in Republica retinendam contra illius voluntatem solutus: & ille secundus in dicendo locus habet auctoritatem [11] penè principis, & voluntatem non nimis devinctam beneficio Consulis. Tertius est Catulus: quartus (si etiam hoc quæris) Hortensius. Consul autem ipse parvo animo & pravo, [12] tantùm cavillator genere illo [13] moroso, quod etiam si-

nium Pisonem intelligit, qui Galliam Narbonensem ex Consulatu obtinuerat, in qua *Allobroges*. In administrationis istius tempore videntur movisse aliquid Allobroges, quod & historia conjurationis Catilinariæ declarat: Piso *incipientem motum suâ prudentiâ composuit, & fluctuantes animos in officio continuit*. Ideo appellatur *pacificator Allobrogum*, quod tamen Cicero videtur non sine urbanitate aliqua dicere, & joco. Casaubonus.

9. *Admurmurante senatu*] Senatus significabat sibi non placere. Muretus.

10. *Homine*] M. Pisone Cos. Corrad.

11. *Penè principis*] Gell. lib. IV. cap. 10. Idem. Hoc sapientissimè scriptum est. Nam primus locus *benevolentiæ Consulis* fere attribuitur; neque is, qui primus rogatur, inficiari potest, quin se obstrictum Consuli fateatur. Secundus autem locus *auctoritati* & dignitati adscribitur, ut sæpè hic major quàm primus haberetur. Sic Themistocli à Lacedæmoniis prudentiâ suâ devictis Persis, suffragiis in urnam conjectis, cùm contenderetur utrùm Alcibiadi, qui & fortitudine suâ multitudinem Persarum devicit, præferri deberet, an Alcibiades Themistocli, secundus locus prudentiæ, quâ victoria parta fuerat attributus est. Dubium autem non fuit, quin primus locus benevolentiæ, alter virtutis attribuatur. Vide Herod. & Plutarch. Muretus.

12. *Tantùm cavillator*] Vetus codex: *tamen cavillator*. Bosius. *Baluzianus*.

13. *Moroso*] Lege *mocoso*. Μῶκος est sanna. Actionem mimicam & gesticulatoriam *mocosam* veteres appellabant. Salmas.

ne dicacitate ridetur, facie magis, quàm facetiis, ridiculus, [14] nihil agens cum Republica, ſejunctus ab optimatibus: à quo nihil ſperes boni Reipublicæ, quia non vult; nihil metuas mali, quia non audet. Ejus autem [15] collega & in me perhonorificus, & partium ſtudioſus ac defenſor bonarum. [16] Quin immò leviter inter ſe diſſident. Sed [17] vereor ne hoc, quod infectum eſt, ſerpat longiùs. Credo enim te audiſſe, cùm apud Cæſarem pro populo fieret, veniſſe eò muliebri veſtitu virum; idque ſacrificium cùm virgines [18] inſtauraſſent, mentionem à Q. Cornificio in Senatu factam: (is fuit princeps; ne tu fortè aliquem noſtrûm putes) poſtea rem ex ſenatus-conſulto ad pontifices relatam, idque ab iis nefas eſſe decretum: deinde ex ſenatus-conſulto Conſules rogationem promulgaſſe; uxori Cæſarem nuntium remiſiſſe. In hac cauſa Piſo, amicitiâ P. Clodii ductus, operam dat, ut ea rogatio, quam ipſe fert, & fert ex ſenatus-conſulto & de religione, antiquetur. Meſſala vehementer adhuc agit ſeverè. [19] Boni viri precibus Clodii removentur à cauſa; operæ comparantur; noſmetipſi, qui [20] Lycurgei à principio fuiſſemus, quotidie demitigamur. Inſtat & urget Cato. Quid multa? vereor, ne hæc, neglecta à bonis, defenſa ab impro-

14. *Nihil agens*] Nuſquam hoc loquendi genus reperias: legendum igitur *nihil agens cum populo*. Populus eſt ſejunctus ab optimatibus. Sunt duæ factiones, altera populi, altera optimatum. Hoc itaque dicit *nihil agens cum populo, ſejunctus ab optimatibus*, neque placet populo, neque optimatibus, neutri parti ſervit. MURET.

15. *Collega*] M. Meſſala.

16. *Quin immò*] Vetus codex habet: *Quin nunc leviter*. BOSIUS *Baluzianus*.

17. *Vereor ne hoc quod infectum eſt, ſerpat longiùs*] Senſus hic eſt: Timeo ne macula, quæ pridem à Clodio reipublicæ aſperſa eſt, ſerpat longiùs. Solent enim maculæ ſerpere & porrigi longiùs. Dicit de ea labe quæ erat aſperſa reipublicæ propter violationem Bonæ Deæ. MURETUS. Exponendum: quod labe vel peſte contactum eſt, trahat atque inficiat ulteriora, id eſt, ne talis Conſul Collegæ ſuam ſcabiem affricet. GRONOVIUS.

18. *Inſtauraſſent*] Legendum: *Ideóque ſacrificium cum virgines inſtauraſſent*, Propterea quòd ſacrum Bonæ Deæ violatum eſſet, illud cùm inſtauraſſent virgines. MUR.

19. *Boni viri*] Optimates, nobiles, primores, ut infinitis in locis. GRÆVIUS.

20. *Lycurgei*] Non à *Lycurgo* rege Lacedæmoniorum ducto nomine ſe *Lycurgeum* fuiſſe ſcribit; ſed à *Lycurgo* oratore Athenienſi, quem ferunt in dicendo valde ſeverum & acerbum extiriſſe. BOSIUS. Ego, qui ſacer reprehenſor & vindex malorum inſtar Lycurgi illius nobilis Athenienſis oratoris, de quo Diod. Sic. VI. 89. & Cic. in Brut. 34. quotidie remitto aliquid de ſeveritate mea. GRONOVIUS.

21. *Amicus*] Pompeius. Serviebat enim omnibus gratioſis tum temporis, ut acta ejus bello Mithridatico confirmarentur. ID. Floruit Pompeius extra Urbem dum fuit, & pro populo Romano bella geſſit. Reverſus in Urbem miſerè jacuit: quanquam ipſe ſanè in cauſa fuit, qui dum vult omnium gratias retinere, omnium amiſit. CASAUBONUS.

improbis, magnorum Reipublicæ malorum causa sint. Tuus autem ille [21] amicus, ([22] scin' quem dicam? de quo tu ad me scripsisti, postea quàm non auderet reprehendere, [23] laudare cœpisse,) nos, ut ostendit, admodum diligit, amplectitur, amat, apertè laudat; occultè, sed ita ut perspicuum sit, invidet: nihil come, [24] nihil simplex, [25] ἐν τοῖς πολιτικοῖς honestum, nihil illustre, nihil forte, nihil liberum. Sed hæc ad te scribam aliàs subtiliùs. Nam neque adhuc mihi satis nota sunt: & huic terræ filio nescio cui committere epistolam tantis de rebus non audeo. Provincias prætores nondum sortiti sunt. Res eodem est loci, quo reliquisti. [26] Τοποθεσίαν, quam postulas, Miseni, & Puteolorum, includam orationi meæ. [27] Ante d. III. Non. Decemb. mendosè fuisse animadverteram. Quæ laudas ex orationibus, mihi crede, valde mihi placebant: sed non audebam antea dicere. Nunc verò, quòd à te probata sunt, multò mihi [28] ἀττικώτερα videntur. In illam [29] orationem Metellinam addidi quædam. Liber tibi mittetur, quoniam te amor nostri [30] φιλορήτορα reddidit. Novi tibi quidnam scribam? quid etiam? [31] Messala Consul Autronianam domum emit

22. *Scin' quem dicam*] Non tantùm hæc verba notis parentheseos erant includenda, sed omnia quæ sequuntur usque ad *cœpisse*, ubi desinit parenthesis. Non hîc Cicero Pompeium nominatim indicat, sed indicat certissimo indicio. *Is est*, inquit, *de quo tu scripsisti ad me, postea* &c. Nec dubium Atticum id scripsisse Ciceroni, unâ aliquâ ex tribus epistolis, quæ hujus initio commemorantur, cùm Româ discedens incidisset in Pompeium, qui è bello Mithridatico Romam redibat. Nam eum Romam venisse, & fuisse ad urbem hoc tempore apparet etiam ex seq. epistola. Casaubon.

23. *Laudare cœpisse*] Serò. Nam nimium diu tacuit. ep. 19. h. l. Id queritur Cicero ep. 7. lib. V. Fam. Corradus.

24. *Nihil simplex*] In Pompeio, *qui solet aliud sentire, & aliud loqui*, epist. 1. lib. VIII. Fam. Idem.

25. Ἐν τοῖς πολιτικοῖς] In rebus publicis, & ad Remp. accommodatis.

26. Τοποθεσίαν] Loci descriptionem.

27. *A. D. III. Non. Decemb.*] Apparet lapsum Ciceronem in aliquo scripto suo, ubi hæc verba posuerat; de quo errore ab Attico admonitus fuerat. Casaubonus.

28. Ἀττικώτερα] Magis Attica, elegantiùs dicta: unde ἀττικισμὸς ep. 16. lib. IV. sic ἀττικώτατα ep. 1. lib. XV. Corradus.

29. *Orationem Metellinam*] Vide Orationum Fragmenta, Tomo VI. pag. 605.

30. Φιλορήτορα] Studiosum artis dicendi.

31. *Messala*] Perinde hæc sunt accipienda ac si diceret, Meministin' mi Attice, fuisse cùm multi me reprehenderent, cùm domum meam emerem, primùm quòd tam carò emerem; deinde quòd pecuniâ alienâ. Atqui habeo nunc quod illis respondeam: nam & cariùs emit Messalla quàm ego: & amicorum opibus, non minùs quàm ego usus sum. Deinde & suum & Messallæ factum defendens ait, nihil vetare quin bonus ac prudens civis amicorum facultatibus in emenda domo ad dignitatem aliquam perveniat. Hic sensus hujus loci, quem interpretes ne per caliginem quidem vident. Manutius.

[32] H-S ccccxxxvii. Quid id ad me, inquies? tantùm, quod eâ emptione & nos benè emisse judicati sumus: & homines intelligere cœperunt, licere amicorum facultatibus in emendo ad dignitatem aliquam pervenire. Teucris illa lentum negotium est, sed tamen est in spe. Tu ista confice. A nobis liberiorem epistolam expecta. vi. Kalend. Febr. M. Messala & M. Pisone Coss.

32. *H-S* ccccxxxvii.] Affirmare non dubitamus, locum esse corruptum. Legimus autem *H-S* xxxvii, quod interpretamur sestertium tricies septies. Notas autem illas cccc à mala manu esse profectas persuasissimum habemus. Idem.

Cicero Attico Sal.

14 Vereor ne putidum sit scribere ad te, quàm sim occupatus: sed tamen distinebar, ut huic vix tantulæ epistolæ tempus habuerim, atque id ereptum è summis occupationibus. [1] Prima concio Pompeii qualis fuisset, [2] scripsi ad te antea, non jucunda miseris, inanis improbis, beatis non grata, bonis non gravis. Itaque frigebat. Tum Pisonis consulis impulsu levissimus tribunus plebis [3] Fufius in concionem produxit Pompeium. [4] Res agebatur in circo Flaminio: & erat in eo ipso loco, illo die, nundi-

1. *Prima concio Pompeii*] Reversi è bello Mithridatico, ep. 11. hujus libri.

2. *Scripsi ad te antea*] Vel desideratur epistola hæc, & ea est fortasse quam *liberiorem* se missurum pollicetur in fine prioris: quam noluit extare Cicero. Vel hæc referenda ad illa, quæ superiore epistolâ dicta sunt illo loco: *Tuus autem amicus*, &c. Casaubonus.

3. *Fufius*] Existimamus hunc esse *Q. Fufium Calenum*, perpetuum Ciceronis hostem. De quo in Philipp. Malaspina.

4. *Res agebatur*] Duas circumstantias facti ejus notare voluit Cicero obiter. Sæpe enim de re ex circumstantiis optimè judicatur. Hìc autem duas Attico considerandas proponit loci & temporis. Ait igitur, Rem agi *in circo Flaminio*. Hæc est loci circumstantia, quam neque temerè ponit Cicero, neque rectè interpretes omiserunt expendere. Pompeius tum fuit ad urbem, hoc est, in expectatione triumphi, & remansit extra urbem propè ad exitum ejus anni, quo triumphavit: itaque in *circo Flaminio* res acta fuit, qui erat extra Urbem. Tempus notant: *Et erat in eo ipso loco illo die nundinarum* παννύχεις. Quid refert? dicat aliquis. Multum: quod non observarunt interpretes. Moribus enim Romanis, quo die *nundinæ* erant, cum populo agi non potuit. Festus auctor in *Nundinas*, quem vide. Ergo etiam hoc contra mores fortè ab isto tribuno levissimo Fufio; quod tamen ut minùs miremur facit Macrobius, qui docet disputatum diu fuisse, *essent nundinæ feriæ nec-ne?* ac olim quidem fuisse sine dubio, postea tamen lege Hortensiâ fastas esse factas, *ut possent* (ait) *rustici qui nundinandi jam in Urbem venirent, lites componere*. Quare postea quàm semel fastæ declaratæ lege fuerunt nundinæ, cœperunt, ut ait idem Macrob. omnia negligentiùs haberi, ut minùs mirum sit levissimum tribunum in re maxima ausum

nundinarum [5] πανήγυεις. Quæsivit ex eo, placerétne ei judices à Prætore legi, [6] quo consilio idem Prætor uteretur. Id autem erat de Clodiana religione ab Senatu constitutum. Tum Pompeius [7] μάλ' ἀειτοκρατικῶς locutus est; Senatúsque auctoritatem sibi omnibus in rebus maximam videri, sempérque visam esse, respondit, & id multis verbis. Postea Messalla consul in Senatu de Pompeio quæsivit, quid de religione, & de promulgata rogatione sentiret. Locutus ita est in Senatu, ut omnia illius ordinis consulta [8] γενικῶς laudaret: mihíque, ut assedit, dixit, se putare, satis ab se etiam [9] de istis rebus esse responsum. Crassus postea quàm vidit illum excepisse laudem ex eo, quòd suspicarentur homines ei Consulatum meum placere, surrexit, ornatissiméque de meo Consulatu locutus est; ut ita diceret, se, quòd esset senator, quòd civis, quòd liber, quòd viveret, mihi acceptum referre; quoties conjugem, quoties domum, quoties patriam videret, toties se beneficium meum videre. Quid multa? totum hunc locum, quem ego variè meis orationibus, quarum tu Aristarchus es, soleo pingere, [10] de flamma, de ferro, ([11] nosti illas ληκύθους) valdè graviter pertexuit. [12] Proximè Pompeium sedebam. Intellexi hominem moveri; utrùm Crassum inire eam gratiam, [13] quam ipse prætermisisset; an esse tantas res

sum esse concionem die nundinarum cogere. Casaubonus.

5. Πανήγυεις] Conventus.

6. *Quo consilio*] Quibus judicibus uteretur in causa Clodiana. Manutius.

7. Μάλ' ἀειτοκρατικῶς] Planè ut optimatem decet.

8. Γενικῶς] Generaliter.

9. *De istis rebus*] Malim, *De nostris rebus*, id est, in consulatu gestis. De conjuratis enim intelligit supplicio affectis. Quod factum Pompeius satis à se probatum significabat, cùm senatûs omnia consulta γενικῶς laudasset. Nam Cicero animadversione illâ usus fuerat auctore senatu: ut qui senatum laudaret, Ciceronis idem acta confirmare videretur. Manut. *Istius* legendum, hoc est, meis. Δεικτικῶς enim dicitur, & ita videtur Pompeius locutus, cujus verba refert. Sed & Cicero ita de se loqui poterat. Sic apud Comicos sæpe, sæpissimè autem apud Græcos Tragicos. Terent. And. *Tu si hic sis, aliter sentias. Hic*, hoc est, ego. Auctor Priscianus. Vulgò aliter hic locus accipitur. Casaubonus.

10. *De flamma, de ferro*] Cùm incendiis urbem, civitatem cæde, meâ virtute dico esse liberatam. Manutius.

11. *Nosti illas* ληκύθους] Non discedit à translatione. Nam, ut pictores ἐκ τῶν ληκύθων, quæ sunt ampullæ pigmentorum, sumunt quæ ad colorandum apta novere, sic eloquentiæ veluti coloribus &c. Idem.

12. *Proximè*] Sanctius *Minerv. lib.* I. *cap.* 16. edidit: *Proximus Pompeium sedebam*, hac adjunctâ animadversione: Dicimus Latinè; *Proximus Pompeio, Pompeium, ad Pompeium, à Pompeio, post Pompeium, secundum Pompeium, propter Pompeium.* Hoc ergo, *Proximè Pompeium*, per ellipsin dictum est; integrum fuerit, *proximè ad.* Olivetus.

13. *Ipse*] De nostris rebus tacens. Corr.

noſtras, quæ tam libenti Senatu laudarentur, ab eo præſertim, qui mihi laudem illam eò minùs deberet, quòd [14] meis omnibus literis in Pompeiana laude [15] perſtrictus eſſet. Hic dies me valdè Craſſo adjunxit: & tamen, [16] ab illo apertè, tectè quidquid eſt datum, libenter accepi. Ego autem ipſe, dii boni! quo modo [17] ἐνεπιπερευσάμην novo auditori Pompeio? ſi unquam mihi [18] περίοδοι, ſi καμπαὶ, ſi ἐνθυμήματα, ſi κατασκευαὶ ſuppeditaverunt, illo tempore. Quid multa? [19] clamores. Etenim hæc erat [20] ὑπόθεσις, de gravitate [21] ordinis, de equeſtri concordia, de conſenſione Italiæ, de [22] immortuis reliquiis conjurationis, de [23] vilitate, de otio. Noſti jam in hac materia ſonitus noſtros: tanti fuerunt, ut ego eò brevior ſim, quòd eos uſque iſtinc exauditos putem. Romanæ autem ſe res ſic habent. Senatus [24] ἄριος πάσος. Nihil conſtantius, nihil ſeverius, nihil fortius. Nam cùm dies veniſſet rogationi ex ſenatus-conſulto feren-

14. *Meis omnibus literis*] Hoc eſt, in omnibus, quæ ſcripſi de Pompeio. Puta in oratione Maniliana; & id genus aliis ſcriptis Ciceronis. GRÆVIUS.

15. *Perſtrictus eſſet*] Vide & orat. pro lege Man. cap. 10. & pro Sextio 31. GRONOV.

16. *Ab illo apertè, tectè*] Hujus loci hic eſt ſenſus. Non ita me adjunxi Craſſo, ut gratiam & amicitiam Pompeii negligerem. Nam contrà, ut illum mihi redderem amiciorem, quod ille mihi tectè dederat, accepi apertè; & palàm ei gratias egi, quaſi apertiſſimè & mea laudaſſet, CASAUBONUS.

17. Ἐνεπιπερευσάμην] Senſus eſt: Ego oſtentavi me, hoc eſt, multus fui in declamando de rebus geſtis meis, eas auxi, eas ornavi, eas amplificavi audiente Pompeio, imò ut audiret novus auditor Pompeius. Quia enim recens ille advenerat, nec fuerat aliàs auditor meus, cùm ego idem argumentum tractarem, volui nunc arrepta hac occaſione efficere, ut ille me cognoſceret penitius, & qualis quantúſque ſim, quantámque eo abſente gloriam ſim conſecutus. Hæc eſt vera hujus elegantiſſimi loci ſententia, quam primi detegimus. Nam interpretes ἀδὲν ὑγιές. CASAUB.

18. περίοδοι] *Ambitus verborum, aut flexus clauſularum, aut argumenta rhetorum, aut confirmationes.* Περίοδοι, quæ ſint dicere nihil attinet. Καμπαὶ ſunt, rectè explicante J. F. Gronovio, clauſulæ, flexus molles orationis ab una parte in aliam, quibus uti licet in genere ἐπιδεικτικῷ magis, ubi ingenium & eloquentiam jactare licet, quàm in forenſibus orationibus, aut in ſententiis de re gravi dicendis. Ἐνθυμήματα non ſunt, quæ recentioribus dialecticis dicuntur, parte quadam ſuâ truncati ſyllogiſmi, ſed antiquis rhetoribus celebratæ illæ ſententiæ, è contrariis concluſæ, quæ propter brevitatem & contraria acumen aliquod habent, qualis eſt illa Horatii: *Cur optas quod habes?* Serm. I. 3. 126. Alia exempla ſuppeditabit Cicero in Topicis cap. 13. Κατασκευὴ autem etſi non eandem ſemper apud rhetores vim habet, tamen non dubium mihi eſt, quin hoc loco dicatur *confirmatio alicujus rei*, (Quintilian. II. 4.) quæ & amplificationem complectitur, cùm alimus argumenta, quod Longino πέφυκεν dicitur, cùm dilatamus rem & augemus omni ratione, ut auditor vim rei aut argumenti capiat, in quo vel maximè ſumma eloquentia cernitur. ERN.

19. *Clamores*] An hoc dicit: clamores meâ oratione & plauſus atque ἐπιστημασίας excitari ab auditoribus. An hoc potiùs? clamores magnos edidi, &, ut mox loquitur, *ſonitus*, dum omni figurarum genere orationem meam exorno. CASAUB.

1

ferendæ, concurſabant barbatuli juvenes, totus ille grex Catilinæ, duce [25] filiolâ Curionis; & populum, ut antiquaret, rogabant. Piſo autem Conſul, lator rogationis, idem erat diſſuaſor. Operæ Clodianæ pontes occuparant. Tabellæ miniſtrabantur, ita [26] ut nulla daretur UTI ROGAS. Hic tibi Roſtra Cato advolat, convicium Piſoni Conſuli mirificum facit; ſi id eſt convicium, vox plena gravitatis, plena auctoritatis, plena denique ſalutis. Accedit eodem etiam noſter Hortenſius, multi præterea boni. Inſignis verò opera Favonii fuit. Hoc concurſu optimatum comitia [27] dimittuntur: Senatus vocatur. Cùm decerneretur frequentî Senatu, contrà pugnante Piſone, ad pedes omnium ſingillatim accidente Clodio, ut Conſules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam; homines ad XV [28] Curioni [29] nullum ſenatus-conſultum facienti aſſenſerunt: ex altera parte facilè cccc fuerunt. [30] Acta res eſt. [31] Fufius tertiùm

20. Ὑπόθεσις] Argumentum, materia, cauſa. Quint. III. 5. CORRADUS.

21. *Ordinis*] Senatûs. IDEM.

22. *Immortuis*] *Immortuus* dicitur de eo, qui in aliquo moliendo occupatus moritur, antequam rem perfecerit, quod accidit pleriſque è conjuratione Catilinæ, qui poſt ejus & magnæ partis conjuratorum abitum ex Urbe, remanentes in Urbe, quòd viderent nullam eſſe rei perficiendæ ſpem, quieverunt: & ſi non animo, certè quod ad effectum attinet, ad ſanam mentem redierunt. Hæ ſunt *reliquiæ conjurationis*, quas ait eſſe *immortuas* & ſopitas. CASAUBONUS.

23. *Vilitate*] Poſt extinctam conjurationem conſecuta. al. *utilitate*. CORRADUS.

24 Ἄρειος πάγος] Martius vicus, Areopagus ἔστι δὲ Ἄρειος πάγος καλούμενος, ὅτι πρῶτος Ἄρης ἐνταῦθα ἐκρίθη. Pauſan. in Attic. Areopagitas verò Solon conſtituit (lib. I. de Off.) qui ſeveri ita fuerunt, ut ſeveri judices proverbio Areopagitæ dicantur, ut εἰρωνικῶς ep. 13. h. l. IDEM.

25. *Filiola Curionis*] C. Curionis filio, qui eam conſuetudinem cum M. Antonio tunc habebat, ut meritò filia potiùs, quàm filius dici poſſet. Philipp. 2. & Plut. in Ant. IDEM.

26. *Ut nulla daretur, Utì rogas*] Cùm populus in campum Martium convenerat, uti rogationem aliquam aut acciperet, aut antiquaret; tabellæ ſingulis binæ dabantur, diversè inſcriptæ; altera ſic, *Utì rogas*, qua ſignificabant, ſe rogationem accipere, & velle utì rogaſſet is, qui rogationem tuliſſet: altera cum littera *A*: quæ erat antiquatæ, id eſt, ſublatæ rogationis nota. MANUTIUS.

27. *Dimittuntur*] An non præſtat legere, *dirimuntur*? Non enim placidè ſunt dimiſſa comitia, ſed & propter Clodianorum audaciam, & optimatum concurſum, qui eis ſe opponebant, dirempta ſunt comitia. GRÆVIUS. Et id Muretus quoque.

28. *Curioni*] Patri, non filio, qui nondum id ætatis videtur fuiſſe, ut ſenator eſſe poſſet, & ſanè non ita multò pòſt ut non ſenator introducitur in Senatum, ep. 24. l. II. CORRADUS.

29. *Nullum ſenatus-conſultum facienti*] Eſt, petenti, ut nullum Senatus-conſultum fieret, aut etiam, ut Senatus-conſultum quod antè erat factum de rogatione ad pop. ferenda tolleretur. CASAUB.

30. *Acta res eſt*] Factum eſt decretum, ut Coſſ. populum cohortarentur ad rogationem accipiendam. CORRADUS.

31. *Fufius*] Hic locus variis modis legitur; cùm enim omnes corruptum eſſe exiſtimarint, quiſque pro ſuo ingenio ſupplevit. Eſt autem hîc Quintus Fufius Caſenus,

tiùm conceſſit. Clodius conciones miſeras habebat, in quibus Lucullum, Hortenſium, C. Piſonem, Meſſallam conſulem contumeliosè lædebat; [32] me tantùm comperiſſe omnia criminabatur. Senatus & de provinciis Prætorum, & de legationibus, & de cæteris rebus decernebat, ut, ante quàm [33] rogatio lata eſſet, ne quid ageretur. Habes res Romanas. Sed tamen etiam illud, quod non ſperaram, audi. Meſſalla conſul eſt egregius, fortis, conſtans, diligens, noſtri laudator, amator, imitator. Ille alter [34] uno vitio minùs vitioſus; quòd iners, quòd ſomni plenus, quòd imperitus, quòd [35] ἀπραγμόνεστατος, ſed voluntate [36] ita καχέκτης, ut Pompeium [37] poſt illam concionem, qua ab eo Senatus laudatus eſt, odiſſe cœperit. Itaque mirum in modum omnes à ſe bonos alienavit. Neque id magis amicitiâ Clodii adductus facit, quàm ſtudio perditarum rerum, atque partium. Sed habet ſui ſimilem in magiſtratibus, præter Fufium, neminem. Bonis utimur Tribunis plebis, [38] Cornuto verò [39] pſeudo-Catone. Quid quæris? Nunc ut ad privata redeam, Τενῆες promiſſa

lenus, perpetuus inimicorum Ciceronis defenſor, qui cauſam Clodianam acerrimè defendebat. VICTORIUS. Ex veſtigiis veterum codicum lectionem hanc erues optimam, & huic loco valdè accommodatam: *Fufius territus tum ceſſit.* Quamvis Fufius, ſeditioſiſſimus Tribunus, vehementer niteretur, ne hæc lex ferretur; territus tamen tanto ſenatorum numero, conſentientium in ſenatus-conſultum quod faciendum erat, tum temporis ceſſit, ſive tum non interceſſit, non interceſſione ſuâ impediit ne ſenatus-conſultum fieret. GRÆVIUS.

32. *Me tantùm comperiſſe omnia*] Id eſt, objiciebat mihi illud, quòd ego de me prædicaram in meo conſulatu, me comperiſſe, Catilinam cum ſuis conſilium cepiſſe urbis incendendæ, &c. LAMBINUS.

33. *Rogatio*] De pollutis ſacris. CORRAD.

34. *Uno vitio minùs vitioſus*] Hoc eſt, Piſo homo vitioſiſſimus eſſet adhuc vitioſior, niſi vitium unum ab aliis vitiis eum retraheret. Nam qui ſit ignavus, non poteſt eſſe audax, & multùm formidandus reipublicæ, qualis Catilina. Piſo etſi malus erat, ut erat, ſi tamen acceſſiſſet audacia, longè deterior fuiſſet. CAS.

35. Ἀπραγμόνεστατος] Ignaviſſimus, nihil prorſus faciens. CORRADUS.

36. *Ita καχέκτης*] Tranſlatum eſt è ſchola Medicorum vocabulum. Eſt enim καχέκτης apud Medicos, cujus corpus ita eſt affectum, ut vergat omnino in morbum. Ideò addit *voluntate*, ut tranſlationem indicaret à corpore ad animum. Ciceronem autem in libris Medicorum adprimè fuiſſe verſatum, declarant vel infiniti harum epiſtolarum loci diligenter eloquentiæ ſtudioſis notandi; & ſimul meminerimus veram eloquentiam eſſe, quæ conjuncta eſt cum ſcientia & cognitione rerum plurimarum, unde efflorescit & manat omnis copia. Scitè Horatius: *Scribendi rectè ſapere eſt & principium & fons.* CASAUBONUS.

37. *Poſt illam concionem*] In quam productus fuit à Fufio. CORRADUS.

38. *Cornuto*] C. *Cornuto* Trib. pleb. qui tribus pòſt annis Prætor fuit. Orat. poſt reditum in Senatu. IDEM.

39. *Pſeudo-Catone*] Hoc eſt, altero Catone, ſive Catonis imitatore. Tantum fuit nomen Catonis, ut multi Romæ eum imitarentur, & eum adhuc vivum pro exemplo ſibi proponerent. Talis etiam fuit Favonius. CASAUBONUS.

[40] promissa patravit. Tu mandata effice, quæ recepisti. Quintus frater, qui [41] Argiletani ædificii reliquum dodrantem emit H-S DCCXXV, Tusculanum [42] venditat, ut, si possit, emat Pacilianam domum. Cum Lucceio in gratiam redi. Video hominem valdè [43] petiturire. Navabo operam. Tu quid agas, ubi sis, cujusmodi [44] istæ res sint, fac me quàm diligentissimè certiorem. Idibus Febr.

40. *Promissa patravit*] Est, debitum, ut erat toties pollicitus, solvit. Sed quia sæpè fidem fefellerat Antonius, & Cicero illi erat iratus, ideò ait indignabundus *patravit*. Quod est verbum obscœnum, & quo purè qui loquuntur Latinè, non temerè utuntur; sed ferè cùm designatum aliquod malum facinus volunt indicare. Plaut. *Post tam fœdum facinus patratum*. Id.

41. *Argiletani*] *Argiletum* pars Urbis propè Palatium, sic dictæ à cæde Argi, quasi Argilethum. Vide Servium & Varronem. In ea parte fuit aliquod ædificium, cujus quadrantem, hoc est, tertiam partem habebat vel hereditatis jure, vel alio Q. Frater; nunc ait Cicero eum emisse *reliquum dodrantem*, hoc est, semissem cum tertia parte. Idem.

42. *Venditat*] Vendendi desiderio tenetur, & quasi venale proponit. Corradus.

43. *Petiturire*] Sic emendavit Adr. Turnebus è mss. Lambin. Lucceium cupidè velle abs te petere, ut secum in gratiam redeas; non audere tamen, metu repulsæ. Verùm navabo operam, ut, posito metu, id abs te petat, & impetret. Bosius.

44. *Istæ res sint*] *Istas res* vocat, res quæ istic fiebant, id est, loco ubi erat Atticus. Id.

Cicero Attico Sal.

Asiam [1] Quinto, suavissimo fratri, obtigisse audisti: non enim dubito, quin celeriùs tibi hoc rumor, quàm ullius nostrûm literæ nuntiarint. Nunc quoniam & laudis avidissimi semper fuimus, & præter cæteros [2] φιλέλλωες & sumus, & habemur, & multorum odia, atque inimicitias Reipublicæ causâ suscepimus; [3] παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο, curáque effice, ut ab omnibus & laudemur, & amemur. His de rebus plura ad te in ea epistola scribam, quam ipsi Quinto dabo. Tu me, velim, certiorem facias, quid de meis mandatis egeris; atque etiam, quid de tuo negotio. Nam ut Brundusio profectus es, nullæ mihi abs te sunt redditæ literæ. Valdè aveo scire quid agas. Idib. Mart. 15

1. *Asiam*] Per *Asiam* autem intelligitur illa Minoris Asiæ pars, quæ à Romanis in provinciæ formam erat redacta. Græv. Vide Ep. 1. ad Q. Fr.

2. Φιλέλλωες] Studiosi Græcorum. Vide Cic. Orat. pro Flacco.

3. Παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο] *Omnimodæ virtutis reminiscere.* Sunt verba Achillis Hectorem alloquentis in ipso agone. Iliad. XXII. 268.

CICERO ATTICO SAL.

16 QUÆRIS ex me, quid acciderit [1] de judicio, quod tam præter opinionem omnium factum sit: & simul vis scire, quo modo ego minùs, quàm soleam, prœliatus sim: respondebo tibi [2] ὕστερον πρότερον, [3] Ὁμηρικῶς. Ego enim, quamdiu Senatûs auctoritas mihi defendenda fuit, sic acriter, & vehementer prœliatus sum, ut clamor concursúsque maximâ cum meâ laude fierent. Quòd si tibi unquam sum visus in Republica fortis, certè me in illa causâ admiratus esses. Cùm enim ille [4] ad conciones confugisset; in iisque meo nomine ad invidiam uteretur, dii immortales! quas ego pugnas, & quantas strages edidi? quos impetus in Pisonem, in Curionem, in totam illam manum feci? quo modo sum insectatus levitatem senum, libidinem juventutis? Sæpe, ita me dii juvent! te non solùm auctorem consiliorum meorum, verùm etiam spectatorem pugnarum mirificarum desideravi. Postea verò quàm Hortensius excogitavit, ut legem de religione Fufius Tribunus plebis

1. *De judicio*] Clodiano, propter violata Bonæ Deæ sacra. CORRADUS.

2. Ὕστερον πρότερον] Id est, præposterè, secundum, vel de secundo priùs.

3. Ὁμηρικῶς] *Homerus* Iliadem orsus à nono anno belli Trojani, mirificam rationem invenit etiam illorum commemorandorum, quæ prioribus annis acciderant. Sed illustriùs id multò in Odyssea patet. Orditur enim poeta ab eo tempore, quo Ulysses in Insula Calypso detinebatur, quo anno fatalis illi erat reditus: quis igitur speraret, illa legens, poetam omnia tam commodè, tam eleganter, quæ novem primis annis passus erat Ulysses relaturum, & tum nihil ferè eorum prætermisit. Inde dixit Ὁμηρικῶς. CASAUBONUS.

4. *Ad conciones confugisset*] Cùm P. Clodius unicum sibi præsidium putaret sordidam plebem, quam lactabat concionibus invidiosis in Ciceronem, quasi qui nobiles cives indemnatos necasset, & commodis plebis, agrariæ legi Rulli resistendo, adversatus fuisset. GRONOVIUS.

5. *In qua nihil aliud à Consulari rogatione differebat*] Fufius hîc fucum fecit Hortensio, & aliis parum cautis senatoribus. Fufius videns ægrè servari posse Clodium, rogatione illâ acceptâ, persuasit Hortensio, se boni publici & concordiæ scilicet studio velle ferre rogationem, quâ idem efficeretur atque illâ consulari: & quòd ita eam rogationem composuerit, ut nihil differret à Consulari, nisi quòd ex lege Fufii judices ordinarii de Clodio erant cognituri; ex rogatione senatûs non judices ordinarii; sed vel populus, vel aliquis, cui aut senatus-consulto, aut plebis-scito extra ordinem quæstio illa fuisset mandata. Rectè autem ait Cicero in hoc fuisse omnia, quod cùm non videret Hortensius, quæ fuit ejus imprudentia, passus est sibi fucum fieri, & os oblini. CASAUBONUS.

6. *Perspiciens inopiam judicum*] An inopiam judicum, hoc est, quòd erant boni judices defuturi? an sic potius: Perspiciebam eos, qui futuri erant judices, omnes esse viles animas, & egestate laborantes. Nam quis nescit paupertatem sæpè esse malesuadam, & rectè à sapientibus institutum

bis ferret; in [5] qua nihil aliud à Consulari rogatione differebat, nisi judicum genus; (in eo autem erant omnia) pugnavitque, ut ita fieret; quòd & sibi, & aliis persuaserat, nullis illum judicibus effugere posse: contraxi vela, [6] perspiciens inopiam judicum; [7] neque dixi quicquam pro testimonio, nisi quod erat ita notum, atque testatum, ut non possem præterire. Itaque, si causam quæris absolutionis, (ut jam [8] πρὸς τὸ πρότερον revertar) egestas judicum fuit, & turpitudo. Id autem ut accideret, commissum est Hortensii consilio: qui dum veritus est, ne Fufius ei legi intercederet, quæ ex senatus-consulto ferebatur, non vidit illud, satius esse illum [9] in infamia relinqui ac sordibus, quàm [10] infirmo judicio committi. Sed ductus odio properavit rem deducere in judicium; cùm illum [11] plumbeo gladio jugulatum iri tamen diceret. Sed judicium, si quæris, quale fuerit, [12] incredibili exitu; sic, uti nunc ex eventu ab aliis, à me tamen ex ipso initio consilium Hortensii reprehendatur. Nam ut [13] rejectio facta est clamoribus maximis; cùm [14] accusator, tanquam Censor bonus, homines nequissimos rejiceret: reus, [15] tanquam clemens lanista, frugalissimum quemque secerneret;

tum ad magistratus aut judicia non temerè pauperes esse admittendos, nec semper jure reprehendendum illud, *dat census honores*. Idem.

7. *Neque dixi quicquam pro testimonio*] Qua nocte pro populo fiebat, Clodium Romæ fuisse, cùm ille diceret se fuisse Interamnæ, ut postea probavit. Ep. 1. lib. II. & orat. pro Mil. Corradus.

8. Πρὸς τὸ πρότερον] Ad prius, ad id quod priore loco quæsisti. Idem.

9. *In infamia*] Nam, si Fufius intercessione impediret, quo minùs de re Clodiana populus judicare posset; itaque judicium de Clodio nullum fieret; Clodius tamen in infamiæ sordibus jaceret; quem non innocentia videretur in judicio servasse, quod fortasse nunc videri potest, sed tribunus nocentem judicio eripuisse. Manutius.

10. *Infirmo judicio*] Quod facilè corrumpi posset. Firmissimum autem, & integrum ab omni labe, populi judicium fuisset. In rogatione Consulari, ut populus judicare, scriptum erat. Idem.

11. *Plumbeo gladio*] Hoc est, per quosvis & qualescunque judices. Adagium est de re inepta ei rei, de qua facta est. Sic alibi (*Fin.* IV. 18.) Cicero plumbeum pugionem dixit. Grævius.

12. *Incredibili exitu*] Ita loqui amat Cicero *esse incredibili exitu*, ἀντὶ habuisse incredibilem exitum. Sic passim loquitur, itémque alii. Vide Gellium V. 8. Interpretor autem *judicium incredibili exitu*, Κρίσιν παραδόξου τῆς θαυμασίαν, hoc est, in qua multa præter opinionem hominum eveniunt. Et pertinent hæc ad ea quæ facta sunt, dum judicium peragitur. Cas.

13. *Rejectio*] Judicum. Vide Ascon. Verr. *Act.* I. *cap.* 3.

14. *Accusator*] Lentulus, orat. de resp. & Val. Max. lib. IV, cap. 2. subscriptor C. Fannius, ep. 24. lib. II. Corradus.

15. *Tanquam clemens lanista*] Solebant lanistæ cùm paria eligerent producenda, eos primo quoque tempore producere, qui improbissimi erant, frugalissimum quemque servantes; quò nunc Cicero respicit. Casaubonus.

ut primùm judices conſederunt, valdè diffidere boni cœperunt. Non enim unquam turpior [16] in ludo talario conſeſſus fuit. [17] Maculoſi ſenatores, [18] nudi equites, [19] tribuni non tam ærati, quàm, ut appellantur, ærarii. Pauci tamen boni inerant, quos rejectione [20] fugare ille non potuerat; qui mœſti inter ſui diſſimiles, & mœrentes ſedebant, & contagione turpitudinis vehementer permovebantur. Hîc, ut quæque res ad conſilium [21] primis poſtulationibus referebatur, incredibilis erat ſeveritas, nullâ varietate ſententiarum: nihil impetrarat reus: plus accuſatori dabatur, quàm poſtulabat: triumphabat (quid quæris?) Hortenſius ſe vidiſſe tantùm: nemo erat, qui illum reum, ac non millies condemnatum arbitraretur. Me verò teſte producto, credo te ex acclamatione Clodii advocatorum audiſſe, quæ conſurrectio judicum facta ſit, ut me circumſteterint, ut apertè jugula ſua pro meo capite P. Clodio oſtentarint. Quæ mihi res multò [22] honorificentior viſa eſt, quàm aut illa, cùm jurare [23] tui cives [24] Xenocratem teſtimonium dicentem prohibuerunt; aut cum [25] tabulas Metelli Numidici, cùm hæ, ut mos

16. *In ludo talario*] Ludus hîc accipitur pro loco, ubi convenire ſolent aleatores. Talorum tamen ludus, ſive ἀστραγάλων, non eſt confundendus cum teſſerario ludo, ſive πεττείᾳ. IDEM.

17. *Maculoſi ſenatores*] Maculoſi ſunt notati à cenſoribus. Suet. Jul. 41. Tacit. I. Hiſt. 7, & II, 40. GRONOVIUS.

18. *Nudi equites*] Nudati opere cenſorio. Suet. Jul. 41. IDEM.

19. *Tribuni non tam ærati, quàm, ut appellantur, ærarii*] Hoc eſt, tribuni non tam nummati erant, quàm nummarii & corrupti: ærarius enim in eâ notione ac formâ quâ nummarius dici cur non poſſit, nihil cauſæ video. TURNEBUS. Legi velim: *Tribuni non tam ærarii, ut appellantur, quàm ærati.* MURETUS.

20. *Fugare*] Mallem, *effugere.* IDEM.

21. *Primis poſtulationibus*] *Poſtulatio* propriè erat, cùm accuſator prætorem adibat petens, ut liceret ſibi nomen ejus, quem accuſare volebat, inter reos referre. Hîc latiùs accipitur. Accipitur enim pro petitionibus, quæ fieri ſolent ab utraque parte, dum parant ſe ad litem, puta ut liceat illum aut illum qui abſit advocare, & ejus adventum expectare, ut ne ille aut ille ad teſtimonii dictionem admittatur. CAS.

22. *Honorificentior*] Honori maximo Ciceroni id fuit, quòd tantus eſſet nominis ejus ſplendor, tam præfulgens dignitas, ut & bonis omnibus admirationi eſſet, & improbis terrori. Nam ſive iſti hunc honorem Ciceroni habuerant non fictè, quid *honorificentius?* ſive ſimulatè, quis coegit, niſi ſumma Ciceronis dignitas, & omni exceptione major auctoritas? IDEM.

23. *Tui cives*] Jocatur. Reſpuit enim jus civitatis ab Athenienſibus ſibi oblatum Atticus. Credo quia ſic jus amiſiſſet Romanæ civitatis. Nemo enim duarum civitatum civis eodem tempore eſſe poteſt. *Pro Corn. Balbo*, cap. 11. IDEM.

24. *Xenocratem*] Hic teſtimonio dicto, cùm ad Aras, ut mos Græcorum eſt, jurandi causâ accederet; unâ voce omnes judices, ne juraret, reclamarunt. In oratione pro Balbo, & apud Valerium, & Laertium. MANUTIUS.

25. *Tabulas Metelli Numidici*] Q. Metello, Quinti filio, Numidico, cauſam dicente

[26] mos est, circumferrentur, nostri judices aspicere noluerunt; multò hæc, inquam, nostra res major. Itaque judicum vocibus, cùm ego sic ab iis, ut salus patriæ, defenderer, fractus reus, & unà patroni omnes conciderunt. Ad me autem eadem frequentia postridie convenit, quâ cùm abiens consulatu sum [27] domum reductus. [28] Clamare [29] præclari Areopagitæ, se non esse venturos, nisi præsidio constituto. Refertur [30] ad consilium; una sola sententia præsidium non desideravit. Defertur res ad senatum; gravissimè, ornatissiméque decernitur: laudantur judices: [31] datur negotium magistratibus: responsurum hominem nemo arbitrabatur. [32] Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι, ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε. Nosti [33] Calvum, ex Nanneianis illum, illum laudatorem meum, de cujus oratione erga me honorificâ ad te scripseram. Biduo per unum servum, & eum ex gladiatorio ludo, confecit totum negotium: [34] arcessivit ad se, promisit, [35] intercessit, dedit. Jam verò (ô dii boni, rem perditam!) etiam noctes certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium [36] introductiones nonnullis judicibus [37] pro mercedis

I 3

cente de pecuniis repetundis, cùm ipsius tabulæ circumferrentur inspiciendi nominis causâ, fuit judex nemo, ex illis equitibus Romanis, gravissimis viris, quin removeret oculos, & se totum averteret; ne fortè, quod ille in tabulas publicas retulisset, dubitasse quisquam, verúmne, an falsum esset, videretur. In oratione pro Balbo. Idem.

26. *Mos est*] Qui repetundarum accusabantur, eorum tabulæ accepti & expensi domi obsignari solebant. *Cic.* I. *in Verr.* 19. Deinde in judicium afferebantur, & judicibus inspiciendæ tradebantur, ut quid haberent in bonis, & unde acceptum, pateret. *Ibid.* cap. 23. Gronovius.

27. *Domum reductus*] Ejus frequentiæ mentionem facit his verbis in oratione in Pisonem: *Quo quidem tempore is meus domum fuit è foro reditus, ut nemo, nisi qui mecum esset, civium esse in numero videretur.* Manutius.

28. *Clamare*] Utitur stylo historico, qui narrationes longiores decet in primis. *Clamare* enim est clamare cœperunt, vel clamabant, ut passim ipse, Sallustius, alii. Casaubonus.

29. *Præclari Areopagitæ*] Εἰρωνικῶς.

30. *Ad consilium*] Judicum. Manutius.

31. *Datur negotium*] Ut præsidium constituant. Corradus.

32. Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι] *Dicite nunc mihi, Musæ*, cœlestes domos habitantes, *quomodo jam primùm ignis incidit*, Iliad. II. 113.

33. *Calvum ex Nanneianis*] Non Calvus, sed M. Licinius Crassus omnino intelligitur, qui pecuniâ suâ corrupit judicium hoc: sed cur *Calvus ex Nanneianis* appelletur, ignoro. Conjecturæ quidem doctorum sunt ingeniosæ, sed num veræ sint dubito. Casaubonus.

34. *Arcessivit ad se*] Judices.

35. *Intercessit*] Est spondere pro aliquo, recipere in se solvendum. Grævius.

36. *Introductiones*] Verbum est lenoni conveniens: illius enim est stupra conciliare, & huic ad illam aditum munire, viámque sternere, ac denique introducere. Puto & *introductiones*, & *productiones*, & *perductiones*, dici hoc sensu. Casaub.

37. *Pro mercedis cumulo*] Cumulus in mensura aridorum est id, quod excedit legitimam mensuram, & hostorio solet abradi-

cedis cumulo fuerunt. Ita, ſummo diſceſſu bonorum, pleno foro ſervorum, XXV judices ita fortes tamen fuerunt, ut, ſummo propoſito periculo, vel perire maluerint, quàm [38] perdere omnia. XXXI fuerunt, quos fames magis, quàm fama, commoverit. Quorum Catulus cùm vidiſſet quendam, Quid vos, inquit, præſidium à nobis poſtulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis? Habes, ut breviſſimè potui, genus judicii, & cauſam abſolutionis. Quæris deinceps, qui nunc ſit ſtatus rerum, & qui meus. Reipublicæ ſtatum illum, quem tu meo conſilio, [39] ego divino confirmatum putabam, qui bonorum omnium conjunctione, & auctoritate Conſulatûs mei fixus, & fundatus videbatur, niſi quis nos deus reſpexerit, elapſum ſcito eſſe de manibus [40] uno hoc judicio: ſi judicium eſt, triginta homines populi Romani leviſſimos, ac nequiſſimos, nummulis acceptis, jus ac fas omne delere, &, quod omnes non modò homines, verùm etiam pecudes factum eſſe ſciant, id [41] Talnam, & Plautum, & Spongiam, & cæteras hujuſmodi quiſquilias ſtatuere, nunquam eſſe factum. Sed tamen, ut te de Republica conſoler, non ita, ut ſperarunt mali, tanto impoſito Reipublicæ vulnere, alacris exultat improbitas in victoria. Nam

---

di. Seneca vocat *acceſſionem. Non vacat de pretio quæri, plus in acceſſionibus fuit.* Id vocant Latini *auctarium*, Græci ἐπίμετρον. Sic in emptione carnium in macello dari ſolet ſuperpondium aliquod, quod veteribus Latinis *Mantiſſa* dicitur. IDEM.

38. *Perdere omnia*] Totam remp. evertere, quam in judicio eſſe poſitam, planè conſtat. Maluerunt igitur rectè ſentire, etiam ſi rectum ſenſum conſecutura mors eſſet, quàm ſententias ferre, contrà quàm leges, & jura præſcriberent: quod ſi feciſſent, actum eſſe de univerſa republica opinabantur. Quaſi, Clodium ſervare, & remp. perdere, idem eſſet. MANUTIUS.

39. *Ego divino confirmatum*] Diis enim immortalibus ducibus eam mentem, voluntatémque ſuſcepi. Orat. IV. in Catil. & orat. pro P. Sylla. CORRADUS.

40. *Uno hoc judicio*] Quia ſeveritate judiciorum ſublatâ, nullus eſt metus malis, nulla ſpes aut ſecuritas bonis. Omnia ſunt incerta, cùm à jure diſceſſum eſt. IX. ad Fam. ep. 16. GRONOVIUS.

41. *Talnam & Plautum*] Vereor ut omnibus probare poſſim, quod hoc loco primùm obſervavimus. Dicam tamen quod odore quodam ſuſpicionis videor indagaſſe. Puto hæc nomina iſtorum judicum poni à Cicerone per jocum & gratiâ ridiculi, ita ut diſſimulanter jocetur in ambigua ſignificatione vocum iſtarum. Propterea vocat mox hos judices quiſquilias, alludens ad res illas parvi pretii, quas nomina iſta, ſi ſumantur appellativè, ſignificant. Simillimè in oratione pro Cluentio jocatur in alios judices, Guttam & Bulbum: *Atque etiam ipſe conditor totius negotii Guttam adſpergit huic Bulbo.* Sic puto hîc per jocum proferri hæc nomina, factâ alluſione ad aliam iſtarum dictionum ſignificationem. Nunc de illis nominibus videamus. *Talna* vox, an veteri Romanorum linguâ, cujus vix centeſimam partem hodie habemus cognitam, aliquid ſignificet neſcio. Sed poteſt Cicero videri alluſionem facere ad vocem

Nam planè ita putaverunt, cùm religio, cùm pudicitia, cùm judiciorum fides, cùm senatûs auctoritas concidisset, fore, ut apertè victrix nequitia, ac libido pœnas ab optimo quoque peteret sui doloris, quem improbissimo cuique inusserat severitas Consulatûs mei. Idem ego ille, (non enim mihi videor insolenter gloriari, cùm de me apud te loquor, in ea præsertim epistola, quam nolo aliis legi) idem, inquam, ego recreavi afflictos animos bonorum unumquemque confirmans, excitans. Insectandis verò, exagitandisque numinariis judicibus, omnem omnibus studiosis, ac fautoribus illius victoriæ [42] παῤῥησίαν eripui: Pisonem consulem nullâ in re consistere unquam sum passus: [43] desponsam homini jam [44] Syriam ademi: senatum ad pristinam suam severitatem revocavi, atque abjectum excitavi: Clodium præsentem fregi in senatu, cùm oratione perpetuâ, plenissimâ gravitatis, tum altercatione ejusmodi, ex qua licet pauca degustes. Nam cætera non possunt habere neque vim, neque venustatem, [45] remoto illo studio contentionis, quem [46] ἀγῶνα vos appellatis. Nam, ut Idib. Maii in senatum convenimus, rogatus ego sententiam multa dixi de summa Republica,

---

cem *Talla*, quæ significat κρομμύου λέπυρον, ut est in Glossis, hoc est, folliculum cæpe, ait Festus. Hac re quid levius dici posset? Jam nomen *Plauti* jocandi occasionem & argumentum affatim suppeditat. Nam *Plauti*, vel blandi Latinè appellantur canes, quorum aures languidæ sunt & flaccidæ. Festus. Quod ipsum nomen, ut alia multa, videtur ex onomatopœia ortum. Ideò Plautus in Casinæ prologo latrans nomen appellat. Canum enim est baubari. Et illorum latratus exprimitur Græcâ voce αὖ αὖ, quam syllabam pars prior vocis Plauti habet. Nomen autem *Spongia* non est obscurum. Fuit enim spongia olim in usu ad mundandam suppellectilem, ut mensas, scamna, &c. imò (honos sit auribus) ad spurcos usus, ut hodie charta, adhibebatur. Legitur hîc etiam *Calvum*, *Plancum*, & *Spongiam*. Quæ voces itidem jocosè ponuntur. Nam *Calvus* à verbo *calvo* est, hoc est, decipio; *Plancus* autem dicitur ὁ πλατύπους. Sic nos Galli *un pied plat*. Casaubonus.

42. Παῤῥησίαν] Victoria solet victorem loquacem reddere. Solent enim ubique narrare victoriam suam, qui eam sunt adepti. Facultatem id liberè faciendi, παῤῥησίαν vocat hîc Cicero. Minùs enim liberè ob victoriam audent exultare qui passim sibi inculcantem audiunt, improbis artibus eam fuisse reportatam victoriam. Similes igitur fiunt victis, quorum θάρσος, inquit Pindarus, ἀγχυξίᾳ δέδεται. Idem.

43. *Desponsam*] Ut eam anno proximo proconsul administraret. Manutius.

44. *Syriam*] Provincia fuit mirè dives & consularis: quare ferè Macedonia & Syria, vel auctore Senatu, benè merito de republica dabatur, vel à Tribunis plebis præmium improbitatis constituebatur. Sic Gabinius, qui Ciceronem expulit, Syriam provinciam per Clodium Tribunum est consecutus. Casaubonus.

45. *Remoto illo studio contentionis*] Fortè legendum *stadio*. Quod videtur requirere vox sequens ἀγῶν. Gulielmius.

46. Ἀγῶνα] Certamen.

ca, atque ille locus inductus à me est[47] divinitùs; ne, unâ plagâ acceptâ, patres conscripti concíderent, ne deficerent: vulnus esse ejusmodi, quod mihi nec dissimulandum, nec pertimescendum videretur: ne aut metuendo ignavissimi, aut ignorando stultissimi judicaremur. Bis absolutum esse[48] Lentulum, bis[49] Catilinam: hunc tertium jam esse à judicibus in Rempublicam immissum. Erras, Clodi, non te judices urbi, sed carceri reservarunt; neque te retinere in civitate, sed exilio privare voluerunt. Quamobrem, Patres conscripti, erigite animos, retinete vestram dignitatem. Manet illa in Republica bonorum consensio: dolor accessit bonis viris; virtus non est imminuta: nihil est damni factum novi; sed quod erat, inventum est: in unius hominis perditi judicio plures similes reperti sunt. Sed quid ago? penè orationem in epistola inclusi. Redeo ad altercationem. Surgit[50] pulchellus puer: objicit mihi, *me ad Baias fuisse.*

47. *Divinitùs*] Cave confundas cum multis *divinè* & *divinitùs*. Qui ait se aliquid *divinè fecisse*, tribuit sibi laudem mirificam, & quæ vix homini conveniat, etsi abutimur nos vulgò isto loquendi genere. Qui dicit *divinitùs se aliquid egisse*, laudem Deo tribuit, non sibi. Est enim *divinitùs* quod Homerus dicere solet θεὸν ἀθσεὶ, hoc est, Deo auctore & compulsore. Quare de malo dici solet, ut cùm dicimus, divinitùs accidit, ut ille illum occideret. Et Cic. in Verr. *An in eam fraudem mihi videtur divinitùs incidisse.* CASAUBONUS.

48. *Lentulum*] Hic est Catilinæ conjurationis particeps, prætor cùm esset. CORR.

49. *Bis Catilinam*] Ego tamen ter absolutum Catilinam invenio: primùm, de incestu, quòd Fabiam, virginem Vestalem, stuprasset, Hortensio & Metello coss. idque Orosius lib. IV. & Pædianus in commentario orationis contra Competitores, tradiderunt. Iterùm, crimine inter sicarios, ob necem M. Marii Gratidiani, Cæsare & Figulo coss. quod apud Dionem lib. XXXVI. scriptum est. Id etiam Cicero significat in oratione pro Sylla, cùm ait: *At idem non affuit alio in judicio.* Tertiò, repetundarum ex Africa, Cotta & Torquato coss. ut Ciceronis, Quinti fratris in libello de Petitione consulatûs, Pædiani testimonio probatur. Quid igitur? an ab historia dissentit Gicero? minimè: sed, cùm Catilinam, item ut Clodium, contra leges absolutum velit significare, de tribus absolutionibus unam omittit, in crimine scilicet incestûs, ne Fabiæ, Terentiæ uxoris suæ sorori, turpem impudicitiæ notam inureret: quam etiam in oratione contra competitores expertem culpæ dicit fuisse. Loquitur igitur de iis judiciis, in quibus Catilina, cùm culpam commisisset, absolutus tamen est, repetundarum. Scilicet ex Africa, & inter sicarios. Quibus criminibus manifestè tenebatur. MANUTIUS.

50. *Pulchellus*] P. Clodius è gente Claudiorum, qui *Pulchri* dicuntur. Altercatio mordax. Clodius objicit mihi me ad Baias fuisse. Sed quid hoc flagitii est? Estne simile, inquam, ac si dicas me in Operto Bonæ Deæ fuisse, ubi tu deprehensus es in domo Cæsaris. 2°. Quid, *inquit*, tibi homini Arpinati, agresti, semirustico cum calidis & voluptariis aquis Baianis. Narra, inquam, hoc patrono tuo, scilicet sorori tuæ, quæ te, ut patronus, sæpè defendit. Illa concupivit Arpinates aquas, cùm nuptias meas peteret, ut virum experta illis se lavaret. Nosti enim ipse *marinas*, quibus te perfudisti cùm stuprum passus es à piratis. 3°. Quousque, *inquit*, hunc Regem superbum feremus? Regem me appellas, inquam, cùm Q. Martius Rex, sororis

fuisse. Falsum: sed tamen quid hoc? simile est, inquam, quasi dicas in operto fuisse. *Quid*, inquit, *homini Arpinati cum aquis caldis?* Narra, inquam, patrono tuo, qui [51] Arpinates aquas concupivit: nosti enim [52] marinas. *Quousque*, inquit, *hunc regem feremus?* [53] Regem appellas, inquam, cùm [54] Rex tui mentionem nullam fecerit? Ille autem Regis hereditatem spe devorarat. [55] *Domum*, inquit, *emisti.* Putes, inquam, dicere, judices emisti. *Juranti*, inquit, *tibi non crediderunt.* Mihi verò, inquam, XXV judices crediderunt: XXXI, quoniam nummos antè acceperunt, tibi nihil crediderunt. Magnis clamoribus afflictus conticuit, & concidit. Noster autem status est hic. Apud bonos iidem sumus, quos reliquisti; apud sordem urbis, & fæcem multò meliùs nunc, quàm reliquisti, [56] nam & illud nobis non obest, videri nostrum testimonium non valuisse. [57] Mis-

sororis tuæ maritus, moriens in testamento nullam tui mentionem fecerit. 4°. Domum, *inquit*, emisti, scilicet magnificentissimam in Palatio sestertiis tricies vicies. *Voluisti*, inquam, dicere, Judices emisti, qui te absolverunt. 5°. Juranti, *inquit*, tibi *non crediderunt*, quia me absolverunt, etsi juratus in me testimonium dixeras. Mihi verò, inquam, XXV *Judices crediderunt*, qui te sententiis suis condemnarunt: XXX *tibi non crediderunt*, quoniam nummos antè acceperunt, quàm te absolverent. Videndus Plutarchus in Cicerone, & Cicero de Haruspic. respons. Popma.

51. *Arpinates aquas*] Hoc est, nuptias meas. Sic enim appellat τὸν συνοικέσιον, alludens ad veterem morem; qui ἀφροδίσια aquam adhibebant. Testes hujus moris poetæ passim, & Cicero ipse pro Cœlio: Ideóne (ait) *aquam adduxi, ut tu eâ incestè utereris?* Hinc pendet jocus Ciceronis, & in hac voce, & in sequenti: *Nosti marinas.* Atque ex hac eadem consuetudine illustrari debet locus Ciceronis in Orat. pro Murena, ubi orator mentionem facit provinciæ cujusdam, quam cùm quæstores sortirentur, acclamatio fieri soleret. Intelligit provinciam quæ & Ostiensis & Aquaria dicebatur: quæ si cui paulò deditiori voluptatibus obtigisset, solebant Romani jocari, allusionémque facere ad hunc obscœnum aquæ usum. Ex quo etiam Aquarioli sunt dicti pueri in lupanaribus ministrantes, teste Festo. Eandem provinciam porrò & Ostiensem fuisse appellatam, & aquariam, declarat collatio locorum duorum, illius in Orat. pro Murena, & hujus in Vatinium. Casaubonus.

52. *Marinas*] Quibus te purgasti, cùm latera rupisses piratis. De Haruspic. resp. 21. J. F. Gronov. Jocum esse vult Bosius in voce *Marinas*, quæ possit etiam intelligi de Arpinatibus, quæ fuerant C. Marii.

53. *Regem appellas* &c.] Sensus est: Tu Regem nominare sustines, illúdque nomen recordari, cùm Rex, cujus hereditatem jam spe devoraveras, in testamento te præterierit, nullámque tui mentionem fecerit? Malaspina.

54. *Rex*] Q. Martius Rex, Terentiæ sororis tuæ maritus. Corradus.

55. *Domum emisti*] Vide suprà, ep. 13.

56. *Nam & illud*] Alterum *Et*, quod huic respondeat, videtur desiderari: sed Cicero sæpe particulam, dictionémve, quæ expectatur, omittit; nec tamen cœptam sententiam absolvit. Ut hîc alterum *Et* omisit, atque ejus loco intulit, *Accedit illud.* Man.

57. *Missus est sanguis invidiæ*] Profuit nobis ad extinguendam invidiam, videri nostrum testimonium non valuisse. Sic & Livius libro 3: *Dandus*, inquit, *invidiæ est sanguis.* Idem.

ſus eſt ſanguis invidiæ ſine dolore, atque etiam hoc magis, quòd omnes illi fautores illius flagitii, rem manifeſtam illam redemptam eſſe à judicibus confitentur. Accedit illud, quòd illa [58] concionalis hirudo ærarii, miſera ac jejuna plebecula, me ab hoc Magno unicè diligi putat: & hercule multâ & jucundâ conſuetudine conjuncti inter nos ſumus, uſque eò, ut noſtri iſti comiſſatores conjurationis, barbatuli juvenes, illum in ſermonibus [59] Cnæum Ciceronem appellent. Itaque & ludis, & gladiatoribus mirandas [60] ἐπισημασίας [61] ſine ulla paſtoritia fiſtula auferebamus. Nunc eſt expectatio comitiorum: in qua omnibus invitis trudit noſter Magnus [62] Auli filium: atque in eo neque auctoritate, neque gratiâ pugnat, ſed quibus [63] Philippus omnia caſtella expugnari poſſe dicebat, in quæ modò aſellus

58. *Concionalis hirudo ærarii*] Unde largitiones fieri cupit, quales tribuni nimis populares facere ſolent. CORRADUS. *Concionalis* autem dicitur, quia totos dies in concionibus tribunitiis conſumebat. Vide Gronov. de Seſtert. IV. 9. GRÆV.

59. *Cnæum Ciceronem*] Ex ipſo & me junctum. Sic ep. 14. lib. IV. CORRADUS.

60. Ἐπισημασίας] Significationes, ut plauſum, & quæ præterea benevolentiam ſignificant. MANUTIUS.

61. *Sine ulla paſtoritia fiſtula*] Sine ullo ſibilo. Nam odium ſibilo, amor plauſu ſignificatur: ut in oratione pro Sextio. Paſtoritiæ verò fiſtulæ ſonus à ſibilo non longè diſtat. Itaque & συρίζειν pro ſibilare, & fiſtulâ ſonum edere: σύριγξα verò pro ſibilo, & fiſtulâ paſtoritiâ reperimus. Quâ de re ſcripſit ingeniosè, & eruditè, M. Antonius Muretus in Variarum lectionum libris. (Vide lib. I. cap. 19.) IDEM.

62. *Auli filium*] L. Afranium, qui bello Mithridatico legatus Pompeii fuerat, & in bellis civilibus ab eodem ſtetit, éſtque in Hiſpania à Cæſare occiſus. Vide Dionem lib. XXXVI. Vide & Lipſium, Var. Lect. lib. III. cap. ultimo. GRÆVIUS.

63. *Philippus*] Macedonum Rex, & Alexandri Magni pater, qui diffidit urbium portas, & ſubruit æmulos Reges muneribus. Horat. lib. III. Carm. CORRADUS.

64. *Conſul autem ille*] M. Piſo.

65. *Doterionis*] Ita Boſius. Alii, *deterioris*, quod retinet Gulielmius, tanquam repentè reſpiceret Tullius ad prologum Plautini Amphitruonis, V. 67. & ſeqq. Sed pro Boſio ſtat Caſaubonus: Intelligit, inquit, Piſonem, de quo dictum ſuprà, eſſe eum facie magis, quàm facetiis ridiculum. Videtur autem Doterio hiſtrio fuiſſe, cujus operâ plurimùm uſus Philippus. Hic, quia multa pollicebatur, joco dictus Δοτηείων, ut quidam Rex Syriæ Δώων. CASAUB.

66. *Ut apud magiſtratus*] Apparet ex hoc loco Prætorem, cujus erat quæſtio de ambitu, non potuiſſe ſine ſenatus conſulto inquirere in domos magiſtratuum. At in domos privatorum credo potuiſſe. IDEM.

67. *Cujus domi diviſores haberent*] Al. *cujuſmodi diviſores habitarent*: unde opinio eſt, legi poſſe: *cujus domi diviſores habitarent*: vel, *qui ejuſmodi diviſores haberent*. CORRADUS. *Habere* dici pro *habitare*, tritiſſimum. GRÆVIUS.

68. *Adversùs Remp.*] Lamb. *adversùs remp. facere videri.* Sed videtur ſubaudiendum.

69. *Lurco*] Gentis Aufidiæ cognomen. Et poteſt eſſe maternus avus Liviæ, uxoris Auguſti. Suetonius in Caligula. MAN.

70. *Simul cum lege Ælia iniit*] Tribunatum inivit ſervatis auſpiciis ex lege Ælia. IDEM. Fortè: *ſalvâ lege Æliâ*. GRONOV.

71. *Solutus eſt & Æliâ & Fufiâ*] Lex Ælia & lex Fufia pertinuerunt ad Comitia: neque dubito fraudem vel certè ſtratage-

ma

lus onustus auro posset ascendere. [64] Consul autem ille, [65] Doterionis histrionis similis, suscepisse negotium dicitur, & domi divisores habere: quod ego non credo. Sed senatus-consulta duo jam facta sunt odiosa, quòd in Consulem facta putantur, Catone & Domitio postulante; unum, [66] ut apud magistratus inquiri liceret; alterum, [67] cujus domi divisores haberent, [68] adversùs rempublicam. [69] Lurco autem, tribunus plebis, qui magistratum [70] simul cum lege Ælia iniit, [71] solutus est & Æliâ, & Fufiâ, ut legem de ambitu ferret; quam ille [72] bono auspicio claudus homo promulgavit. Ita comitia in ante diem VI. Kal. Sext. dilata sunt. Novi est in lege hoc, ut, qui nummos in tribu [73] pronuntiarit, si non dederit, impunè sit; sin dederit, ut,

ma eas fuisse senatorum adversùs plebem. Nam cùm in comitiis regnaret plebs, nec frangere hanc ejus potestatem senatus posset, quibus potuit cunque rebus minuit. Idque maximè perlatis his duabus legibus effecit, etsi constat à tribunis plebis eas fuisse latas, ut Manutius docet. Sed non est novum ut Tribuni in gratiam senatorum multas leges ferrent, quæ populi majestatem non nihil atterere viderentur. Testatur autem Cicero in Pisonem non esse valdè antiquas illas leges, ut quæ nondum centum annos durassent. Legis Æliæ capita tria fuerunt. I. Ut auspicato omnia fierent in comitiis. II. Ut obnuntiatione factâ dirimerentur comitia. III. Ut liberum esset intercedere, quibus intercedendi jus erat. Erat autem intercedendi jus ad populum solis Tribunis plebis legibus sacratis concessum. Legis Fufiæ caput unum fuisse docti existimant, Ne fastis diebus cum populo ageretur. Quoniam igitur videbat senatus urgendum esse malum istud ambitionis, & nascens esse curandum, ob pericula varia quæ moram sequi videbantur, placuit senatui illa omnia tollere, quæ latoribus novæ legis de ambitu aliquam moram videbantur posse afferre. Quàm prudenter hoc à Senatu sit factum, mitto quærere. Illud dico, Senatum præviisse exemplo suo tribunis plebis, qui, ut improbas leges ferrent, imitati sunt factum hoc Senatûs. Imò leges ipsas Æliam & Fufiam sustulerunt: quod à Clodio postea factum est. In quem Cicero tam acriter, tam sæpè ob hoc ipsum invehens, non dubito quin sæpè responsum tulerit à Clodio, imitatione senatûs se illas leges primùm neglexisse, deinde sustulisse. Tanti est in republica nihil admittere, vel quod sit minimùm contra leges. Τὸ γὰρ παρὰ μικρὸν, ut passim inculcat Philosophus, τὸ ἀμύητον ὠφελοῖ ἕστιν. Est autem hîc σύρκασμος quasi Ciceronis, qui laude immortali dignus est, quòd peccanti hac in parte senatui, dum odio ductus Cato properat, & urget propositum inconsideratè, ipse comitem peccati se non adjungit, & bonam causam mavult deserere, quàm iniquè & contra leges illa tueri. Jocatur igitur in Lurconem, qui cùm servatis auspiciis ex lege Ælia factus esset Tribunus plebis, eam legem, per quam ipse esset tribunus, solvat: non tam ipse quidem quàm Senatus, qui & lege utraque Æliâ & Fufiâ solverit. Casaubonus.

72. *Bono auspicio*] Εὐφωνικῶς. Non enim bonum poterat esse ejus auspicium, cujus in corpore, aut etiam nomine vitium esset. Innuit autem Clodios sive Claudios à claudis pedibus nomen habuisse, eáque de causa nescio quid mali ominis extitisse in eorum nomine. Vitabant enim Romani inauspicata nomina, &, ut loquitur Horatius, *malè nominata* verba. Bosius.

73. *Pronuntiarit*] *Pronuntiare* frequens in hac re verbum; est autem idem ac polliceri. Sed cùm legibus interdictum est promittere

quoad vivat, ſingulis tribubus H.S clɔ clɔ clɔ debeat. Dixi, hanc legem P. Clodium jam antè ſervaſſe: pronuntiare enim ſolitum eſſe, & non dare. Sed heus tu, vidéſne [74] conſulatum illum noſtrum, quem Curio antea [75] Ἀποθέωσιν vocabat, ſi hic factus erit, [76] fabam mimum futurum? Quare, ut opinor, [77] φιλοσοφητέον, id quod tu facis, & iſtos Conſulatus [78] non flocci ἑατέον. Quod ad me ſcribis, [79] te in Aſiam ſtatuiſſe non ire; equidem mallem ut ires: ac vereor ne quid in iſta re [80] minùs commodè fiat. Sed tamen non poſſum reprehendere conſilium tuum, præſertim cùm egomet in provinciam non ſim profectus. Epigrammatis tuis, quæ [81] in Amaltheo poſuiſti, contenti erimus, præſertim cùm & [82] Chilius nos reliquerit, & Archias

---

mittere aut polliceri pecuniam, iſti non pollicebantur; ſed pronuntiabant. Sic enim videntur voluiſſe, mutatâ voce, vim legis eludere. CASAUBONUS.

74. *Conſulatum illum noſtrum*] *Conſulatum* accipe generaliter de honore illo, non ſpecialiter de Conſulatu Ciceronis. Nam hîc ab omnibus interpretibus diſſentio, ut puto, ſummâ cum ratione. Decepit illos vox *noſtrum*. Fruſtrà. Artis cujuſque artifex de ſua arte loquens dicet: *Ars noſtra*, nec tamen intelliget de ſe peculiariter. IDEM.

75. *Ἀποθέωσιν vocabat*] Hoc eſt, Curio dictitare ſolebat, videri ſibi eos, qui conſulatum eſſent adepti, penè deos eſſe factos, & diis pares. IDEM.

76. *Fabam mimum*] Alludit Cicero ad morem ſuæ ætatis puerorum, qui Saturnalium diebus menſe Decembri regna ſortitò exercere ſolebant, de quibus vide Tacit. XIII. Annal. cap. 15. & ibi quæ Lipſius de iis notavit. Et quidem faba, ſicut & hodie fit, & apud Græcos quoque κύαμος, videtur in creandis magiſtratibus fuiſſe uſurpata. Unde eſt illud Pythagoræ: *A fabis abſtine*, hoc eſt, κυάμων ἀπέχου. Ait igitur Cicero, ſi fiat Conſul Afranius, Conſulatum ita deinceps rem abjectam fore, ut ſunt regna puerorum. Similis planè locus Senecæ: *Olim magna res erat Deum fieri: jam fama minimam fecit: etiam peſſimi quique illam affectant.* Quid aptius dici potuit? IDEM. Petrus Daniel Huetius in Elzeviriano, quo utebatur, Ciceronis exemplo ſcripſerat, *Manium*. *Feſtus*. Quidnam hoc eſſet, cùm divinare vellem, adii Feſtum, apud quem legitur initio libri VI. *Fabam nec tangere, nec nominare Diali flamini licet, quòd ea putatur ad mortuos pertinere. Nam & lemuralibus jacitur larvis, & parentalibus adhibetur ſacrificiis*, &c. Videtur ergo doctiſſimi viri conjectura eò ſpectare, ut pro *fabam mimum* reponamus *fabam Manium*. Quod ut planè intelligatur, mutuari lucem oportet ab Ovidio, *Faſt.* V. 436. Gellio, X. 15. aliiſque veterum ſcriptorum locis, quos per otium indagabunt Critici. OLIVETUS.

77 Φιλοσοφητέον] Philoſophandum eſt.

78. *Non flocci, ἑατέον*] Hoc eſt, Conſulatus iſtos, qui non ſunt flocci, omittere & aſpernari oportet. Hunc enim locum ita reſtituit Adr. Turnebus, *Adverſ.* IX. 1. Antea legebatur, *& iſtos Conſulatus non floccifacteon*. Credibile autem eſt, inquit Lambinus, Ciceronem propter verbum φιλοσοφητέον, finxiſſe verbum latinum *floccifacteon*, ad ſimilitudinem græci ſermonis, per quandam παρονομασίαν. Hæc fortè Lambinus perſuaſerit iis, qui Vavaſſorem *de ludicra dictione* non legerint. OLIVETUS.

79. *Te in Aſiam ſtatuiſſe non ire*] Contrà quàm ſperarat Q. Cicero, qui Atticum ſibi fore legatum ſperabat. Vide C. Nep. in vita Attici. GRÆVIUS.

80. *Minùs commodè*] Vel ut Quintus hoc non molliter accipiat; vel ut Quintus deſtitutus te rectore malè regat. GRON.

81. *In Amaltheo*] In illo gymnaſio ſub ſtatua, ut videtur, Ciceronis. IDEM.

82. *Chilius*] Vide ſuprà, epiſt. 2.

chias nihil de me scripserit: ac vereor, ne, [83] Lucullis quoniam Græcum poema condidit, nunc [84] ad Cæcilianam fabulam spectet. Antonio, tuo nomine gratias egi; eámque epistolam Manlio dedi. Ad te ideò antea rariùs scripsi, quòd non habebam idoneum, cui darem, nec satis sciebam, quid darem. [85] Vale. Te vindicavi. Cincius si quid ad me tui negotii detulerit, suscipiam. Sed nunc magis in suo est occupatus; in quo ego ei non desum. Tu, si uno in loco es futurus, crebras à nobis literas [86] expecta; ast plures etiam ipse mittito. Velim, ad me scribas, cujusmodi sit Ἀμαλθεῖον tuum, quo ornatu, qua ποτοθεσίᾳ; & quæ poemata, quásque historias de Ἀμαλθείᾳ habes, ad me mittas. Lubet mihi [87] facere in Arpinati. Ego tibi aliquid de meis scriptis mittam. Nihil erat absoluti.

83. *Lucullis*] Archias Mithridaticum bellum in gratiam Lucullorum, & potissimùm L. Luculli scripserat. Cicero autem verebatur ne idem vellet etiam aliquid scribere in laudem Q. Cæcilii Metelli Numidici. Bosius.

84. *Ad Cæcilianam fabulam*] Ad poema scribendum in honorem Q. Cæcilii Metelli Numidici & Pii ejus filii, quorum Archias fuerat perquàm familiaris. Lepidè autem vocat *fabulam Cæcilianam*, poema quod Archias conditurus erat de Cæciliis, quia ut plurimùm fabulas tractant poetæ. Interim alludit ad fabulas, quas Cæcilius comicus poeta scripserat. Idem.

85. *Vale. Te vindicavi*] Nihil muto: agit enim de mutuo rescriptionis officio, quo se Atticus superiorem esse objecerat. His, *inquit*, copiosis literis, non modò jam compensavero, párque retulero; verùm etiam ultus fuero istam accusationem tuam. Mss. mei omnes sic habent, *Vale. Te vindicavi.* Quam scripturam rectam puto, & eodem sensu: ac propterea in fine legitur iisdem auctoribus, *Iterùm vale.* Junius. Ego mallem: *bellè te vindicavi*, scilicet ab injuria, quam tibi à me fieri putabas, dum rarò aut breviter scribo, hac longissimâ epistolâ. Gronovius.

86. *Expecta; ast*] Lege, *expectato; plures etiam*, &c. Muretus.

87. *Facere*] Gymnasium hujusmodi.

Cicero Attico Sal.

17

Magna mihi varietas voluntatis, & dissimilitudo opinionis, ac judicii Quinti fratris mei, demonstrata est ex literis tuis, in quibus ad me epistolarum illius exempla misisti. Qua ex re, & molestiâ sum tantâ affectus, quantam mihi meus amor summus erga utrumque vestrûm afferre debuit; & admiratione, quidnam accidisset, quod afferret Quinto fratri meo aut offensionem tam gravem, aut commutationem tantam voluntatis. Atque illud à me jam antè intelligebatur, quod te quoque ipsum discedentem à nobis suspicari videbam, subesse nes-

cio quid opinionis incommodæ, ſauciúmque ejus animum; & inſediſſe quaſdam odioſas ſuſpiciones: quibus ego mederi cùm cuperem antea ſæpè, & vehementiùs etiam [1] poſt ſortitionem provinciæ, nec tantum intelligebam ei eſſe offenſionis, quantum literæ tuæ declarant; nec tantum proficiebam, quantum volebam. Sed tamen hoc me ipſe conſolabar, quòd non dubitabam, quin te ille aut Dyrrachii, aut in iſtis locis uſpiam viſurus eſſet. Quod cùm accidiſſet; confidebam, ac mihi perſuaſeram fore, ut omnia placarentur inter vos non modò ſermone, ac diſputatione, ſed conſpectu ipſo, congreſſúque veſtro. Nam, quanta ſit in Quinto fratre meo comitas, quanta jucunditas, quàm mollis animus & ad accipiendam, & ad deponendam offenſionem, nihil attinet me ad te, qui ea noſti, ſcribere. Sed accidit perincommodè, quòd eum nuſquam vidiſti. Valuit enim plus, quod erat illi nonnullorum artificiis inculcatum, quàm aut officium, aut neceſſitudo, aut amor veſter ille priſtinus, qui plurimùm valere debuit. Atque hujus incommodi culpa ubi reſideat, faciliùs poſſum exiſtimare, quàm ſcribere. Vereor enim, ne, dum defendam meos, non parcam tuis. Nam ſic intelligo; ut nihil [2] à domeſticis vulneris factum ſit, illud quidem, quod erat, eos certè ſanare potuiſſe. Sed hujuſce rei totius vitium, quod aliquanto etiam latiùs patet, quàm videtur, præſenti tibi commodiùs exponam. De iis literis, quas ad te Theſſalonicâ miſit, & de ſermonibus, quos ab illo & Romæ apud amicos tuos, & in itinere habitos putas; ecquid tantum cauſæ ſit, ignoro: ſed omnis in tuâ poſita eſt humanitate mihi ſpes hujus levandæ moleſtiæ. Nam, ſi ita ſtatueris, & irritabiles animos eſſe optimorum ſæpè hominum, & eoſdem placabiles; & eſſe hanc agilitatem, ut ita dicam, mollitiámque naturæ plerumque bonitati; &, id quod caput eſt, nobis inter nos noſtra ſive incommoda, ſive vitia, ſive injurias eſſe tolerandas; facilè hæc, quemadmodum ſpero, mitigabuntur. Quod ego ut facias, te oro. Nam ad me, qui te unicè diligo, maximè pertinet, neminem eſſe meorum, qui aut te non

1. *Poſt ſortitionem provinciæ*] Poſtquàm ei Aſia provincia ſorte obvenit. Quo perſpicuum fit, non eo ſolùm iratum fuiſſe Quintum, quia cum ipſo legatus in Aſiam Atticus ire nollet. MANUTIUS.

2. *A domeſticis*] A ſorore tua: quæ; cùm uxor ſit Q. fratris, animum illius ſedare & potuit, & debuit. IDEM.

non amet, aut abs te non ametur. Illa pars epistolæ tuæ minimè fuit necessaria, in qua exponis, quas facultates aut provincialium, aut urbanorum commodorum, & aliis temporibus, & me ipso consule, prætermiseris. Mihi enim perspecta est ingenuitas, & magnitudo animi tui: neque ego inter me, atque te quicquam interesse unquam duxi, præter voluntatem institutæ vitæ: quòd me ambitio quædam ad honorum studium, te autem alia minimè reprehendenda ratio ad honestum otium duxit. Verâ quidem laude probitatis, diligentiæ, religionis, neque me tibi, neque quemquam antepono. Amoris verò erga me, cùm à fraterno amore, domesticóque discessi, tibi primas defero. Vidi enim, vidi, penitúsque perspexi in meis variis temporibus & sollicitudines, & lætitias tuas. Fuit mihi sæpè & laudis nostræ gratulatio tua jucunda, & timoris consolatio grata. Quin mihi nunc, te absente, non solùm consilium, quo tu excellis, sed etiam sermonis communicatio, quæ mihi suavissima tecum solet esse, maximè deest. Quid dicam in publica re? quo in genere mihi negligenti esse non licet; an in forensi labore? quem antea propter ambitionem sustinebam; nunc, ut dignitatem tueri gratiâ possim; an in ipsis domesticis negotiis? in quibus ego cùm antea, tum verò post discessum fratris te, sermonésque nostros desidero. Postremò non labor meus, non requies; non negotium, non otium; non forenses res, non domesticæ, non publicæ, non privatæ carere diutiùs tuo suavissimo, atque amantissimo consilio, ac sermone possunt. Atque harum rerum commemorationem verecundia sæpè impedivit utriusque nostrûm. Nunc autem ea fuit necessaria propter eam partem epistolæ tuæ, per quam te ac mores tuos mihi purgatos, ac probatos esse voluisti. Atque in ista incommoditate alienati illius animi, & offensi, illud inest tamen commodi, quòd & mihi, & cæteris amicis tuis nota fuit, & abs te aliquando testificata tua voluntas omittendæ provinciæ; ut, quòd unà non estis, non dissensione, ac dissidio vestro, sed voluntate, ac judicio tuo factum esse videatur. Quare & illa, quæ violata, expiabuntur; & hæc nostra, quæ sunt sanctissimè conservata, suam religionem obtinebunt. Nos hîc in republicâ infirmâ, miserâ, commutabilique versamur. Credo enim te audisse, nostros Equites penè à Senatu esse disjunctos; qui primùm

mùm illud valdè graviter tulerunt, promulgatum ex ſenatus-conſulto fuiſſe, ut de iis, qui ob judicandum accepiſſent, quæreretur. Quâ in re decernendâ cùm ego caſu non affuiſſem, ſenſiſſémque id equeſtrem ordinem ferre moleſtè, neque apertè dicere; objurgavi Senatum, ut mihi viſus ſum, ſummâ cum auctoritate; & in causâ [3] non verecundâ admodum gravis & copioſus fui. Ecce aliæ deliciæ Equitum, vix ferendæ, quas ego non ſolùm tuli, ſed etiam ornavi. [4] Aſiani, qui de [5] Cenſoribus conduxerant, queſti ſunt in Senatu, ſe, cupiditate prolapſos, nimiùm magno conduxiſſe: ut induceretur locatio, poſtulaverunt. Ego princeps in adjutoribus, atque adeò ſecundus. Nam ut illi auderent hoc poſtulare Craſſus eos impulit. Invidioſa res, turpis poſtulatio, & confeſſio temeritatis. Summum erat periculum, ne, ſi nihil impetraſſent, planè alienarentur à Senatu. Huic quoque rei ſubventum eſt maximè à nobis; perfectúmque, ut frequentiſſimo Senatu, & libentiſſimo uterentur, multáque à me de ordinum dignitate, & concordia dicta ſunt Kal. Decemb. & poſtridie. Neque adhuc res confecta eſt, ſed voluntas Senatûs [6] perſpecta. Unus enim contradixerat

3. *Non verecundâ*] Λιτότης, vel ἐξουθενισμὸς. Igitur inverecundâ, & turpi. Quid enim turpius, quàm dicere, non eſſe quærendum de iis qui ob judicandum pecuniam accepiſſent? CORRADUS.

4. *Aſiani*] Aſiæ publicani, id eſt, equites. Nam erant omnes publicanorum ſocietates ex ordine equeſtri. MANUTIUS.

5. *De cenſoribus*] Nam locandorum vectigalium cura penes cenſores erat. IDEM.

6. *Perſpecta*] In eam partem, ut equitum ratio duceretur; quod tamen factum non eſt, Catone contrà accerrimè pugnante: &, ut dicam, quod mihi in mentem venit, in eas cauſas inſpicienti, quibus afflicta reſpublica concidit: ex hâc primùm radice enatum civile bellum videtur. Cùm enim urbs Roma ex tribus ordinibus, ſenatu, equitibus, & plebe conſtaret: duobus ordinibus libertatem tuentibus, nulli unquam improbo civi ſatis firmæ vires ad opprimendam rempublicam fuiſſent. Itaque in oratione IV. in Catilinam, *Hanc*, inquit, *cum equitibus Romanis conjunctionem ſi perpetuam in republica tenuerimus; confirmo vobis, poſthæc malum civile, ac domeſticum ad nullam reipublicæ eſſe venturum partem.* Hoc vir prudentiſſimus non vidit Cato: qui animo optimo, & ſummâ fide utens, dum ærarium nimis pertinaciter defendit, equites à ſenatu alienavit. Ita, duorum ordinum disjunctâ concordiâ, everſum eſt quod erat ſummum reipublicæ firmamentum. At Cæſar, qui tyrannidem ſpectaret, avidè occaſionem in conſulatu amplexus, equitum, qui à ſenatu nihil adhuc impetrabant, cauſam ſuſcepit, effecítque, ut tertiâ debitæ pecuniæ parte ſenatus-conſulto levarentur, quo facto equeſtrem ordinem ſibi adjunxit; (& jam antea plebem tenebat) unde imminutæ ſenatûs opes, & res omnis publica ad tres viros, Cæſarem, Pompeium, Craſſúmque tranſlata. Ubi ſunt, qui, cùm eloquentiam in Cicerone laudarunt, ut imprudentem, atque etiam, ſi diis placet, ut pernicioſum patriæ civem inſimulant? ſcilicet ea, quæ conſecuta ſunt, non vidit: immò verò, & vidit, &, ne acciderent, etiam providit. MANUTIUS.

xerat Metellus Consul designatus. Quin erat dicturus (ad quem propter diei brevitatem perventum non est) heros ille noster Cato. Sic ego conservans rationem, institutionémque nostram, tueor, ut possum, illam à me conglutinatam concordiam. Sed tamen, quoniam ista sunt infirma, munitur quædam nobis ad retinendas opes nostras *tuta, ut spero*, via, quam tibi literis satis explicare *non possum*; significatione parvâ ostendam tamen. *Utor Pompeio familiarissimè.* [7] Video quid dicas. *Cavebo, quæ sunt cavenda*: ac scribam aliàs ad te de meis consiliis capessendæ Reipublicæ plura. Lucceium scito Consulatum habere in animo statim petere. [8] Duo enim soli dicuntur petituri. Cæsar [9] cum eo coire per Arrium cogitat: & Bibulus cum hoc se putat per C. Pisonem posse [10] conjungi. Rides? non sunt hæc ridicula, mihi crede. Quid aliud scribam ad te? quid? multa sunt: sed in aliud tempus. Te si expectari velis, cures ut sciam. Jam illud [11] modestè rogo, quod maximè cupio, ut quamprimùm venias. Nonis Decemb.

7. *Video quid dicas*] Dicis, cavendum mihi esse, ne Pompeii causâ de instituto actionum optimarum cursu deflectam. Sed noli laborare: *cavebo, quæ sunt cavenda.* Idem. Cavendum esse ab eo, qui invideat. Corradus.

8. *Duo enim soli*] Ratio, cur Lucceius, cùm differre consulatûs petitionem anteà cogitasset, postea, statim petere, animum induxit. Nam, cùm duos modò sibi fore competitores videret, M. Calpurnium Bibulum, C. Julium Cæsarem; majorem spem nactus est adipiscendi consulatûs. Multis autem competitoribus, petere ipse non esset ausus, qui se non ita gratiosum esse in suffragiis intelligeret. Manutius.

9. *Cum eo coire*] Cum eo societatem inire contra Bibulum. Lucceium enim Cæsar collegam malebat in consulatu; ut qui non dubitaret, Bibulum optimè de republica sentientem suis actionibus adversaturum. Vide Suetonium. Idem.

10. *Conjungi*] Per coitionem, nisi ita volumus interpretari: Bibulus, quamvis gerat inimicitias cum Cæsare ex Ædilitate, & Prætura conceptas, Cæs. lib. III. de Bell. civ. putat tamen se per C. Pisonem ita cum eo posse conjungi, ut Cos. cum eo fiat. Corradus.

11. *Modestè rogo*] Quòd intelligam magni interesse tua, te id agere, quod agendum est, ut ep. 8. h. l. Quid verò tunc ageret Atticus, intelliges. ep. 10. h. l. Al. *molestè rogo.* Idem. *Modestè*, hoc est mediocriter, præ voluntate mea, ut venias, rogo. Malaspina.

Cicero Attico Sal.

Nihil mihi nunc scito tam deesse, quàm hominem eum, qui-cum omnia, quæ me curâ aliquâ afficiunt, unà com- 18

1. Ἀφελίστατος] Frugalissimus, simplicissimus, optimus. Aberat enim Q. frater, in Asiam profectus. Corradus.

municem: qui me amet, qui ſapiat, qui cum ego colloquar, nihil fingam, nihil diſſimulem, nihil obtegam. Abeſt enim frater [1] ἀφελέσθαι, & amantiſſimus: [2] Metellus non homo, ſed littus, atque aër, & ſolitudo mera: tu autem, qui ſæpiſſimè curam, & angorem animi mei ſermone, & conſilio levaſti tuo; qui mihi & in publica re ſocius, & in privatis omnibus conſcius, & omnium meorum ſermonum, & conſiliorum particeps eſſe ſoles, ubinam es? Ita ſum ab omnibus deſtitutus, ut tantum requietis habeam, quantum cum uxore, & filiola, & mellito Cicerone conſumitur. Nam illæ ambitioſæ noſtræ fucoſæque amicitiæ ſunt in quodam ſplendore forenſi; fructum domeſticum non habent. Itaque, cùm bene completa domus eſt, tempore matutino, cùm ad forum ſtipati gregibus amicorum deſcendimus, reperire ex magna turba neminem poſſumus, quocum aut jocari liberè, aut ſuſpirare familiariter poſſimus. Quare te expectamus, te deſideramus, te jam etiam arceſſimus. Multa enim ſunt, quæ me ſollicitant anguntque, quæ mihi videor, aures nactus tuas, unius ambulationis ſermone exhaurire poſſe. Ac domeſticarum quidem ſollicitudinum aculeos

---

2. *Metellus non homo*] Metellus, inquit, licet adſit, ab omni tamen humanitatis conſortio refugere videtur. Neque enim magis ſe in hominum familiaritatem applicat, quàm aut littus, aut aër, aut ſolitudo mera: quæ loca hominum cœtu frequentari non ſolent. Itaque illo familiariter non utor. Bosius. Novam exhibet conjecturam Hiſtoria Regiæ Inſcriptionum Academiæ, *Tom.* IX. *pag.* 34, ubi ex *Metellus* fiunt duæ voces, *me tellus*, *non homo* &c. Junius verò quod à ſe excitatum eſſe ait quaſi ex veterum librorum ruderibus, edidit: *& amantiſſimus mei, bellus, non homo* &c. Unde vir doctus & ſolerter criticus, de quo ego item dixerim quod Marcus de Quinto, ἀφιλέστατος, meíque amantiſſimus, Fr. Odinus, ſuſpicatur Ciceronem ſcripſiſſe: *Abeſt enim frater* ἀφιλέστατος, *& amantiſſimus mei bellus homo. Non homo, ſed littus, atque aër* &c. Deſiderat Cicero, ut Odino videtur, Q. fratrem, & M. Cælium. Hujus enim ad Ciceronem epiſtolas, & Ciceronis ad ipſum, orationémque pro ipſo quiſquis legit, eum ſcit, Attico fuiſſe juxta ac Tullio perfamiliarem; formâ ac ſpecie liberali, quíque haberi formoſus vellet; cujus conſuetudine ac prudentiâ delectaretur Cicero. Huic firmandæ ſuſpicioni iſta ſufficiant, quæ ad ipſum (*Fam.* II. 12.) ſcribebat: *Cum una, mehercule, ambulatiuncula, atque uno ſermone noſtro omnes fructus provinciæ non confero.* Jam ea quæ ſequuntur, *Non homo* &c. vero proximum eſt ſumpta eſſe è veteris poëtæ Accii fabula, in qua Philoctetes inducebatur ſuam memorans *ſolitatem*, ut Accius idem loquitur, lamentánſque, ut apud Sophoclem, quòd *non homo* ſibi adeſſet, cujus vel auxilio juvari poſſet, vel ſaltem alloquio: quacunque aſpiceret, nihil objici, præter littus, aëra, ſolitudinem meram. Primus hoc animadvertit auctor novæ illius conjecturæ, quam indicavi modò. Iſtâ igitur ſententiâ ſuam Cicero *ſolitatem* exprimit, non ingenium illius hominis, qui cum vivere optet & colloqui. Poſſum, inquit, ut Accianus ille Philoctetes, dicere: *Non homo*,

leos omnes, & ſcrupulos occultabo: neque ego huic epiſtolæ, atque ignoto tabellario committam. Atque hi (nolo enim te permoveri) non ſunt permoleſti, ſed tamen inſident, & urgent, & nullius amantis conſilio, aut ſermone requieſcunt. In Republica verò, quanquam animus eſt præſens, tamen [3] voluntas etiam atque etiam ipſa medicinam effugit. Nam, ut ea breviter, quæ poſt tuum diſceſſum acta ſunt, colligam, jam exclames neceſſe eſt, res Romanas diutiùs ſtare non poſſe. Etenim poſt profectionem tuam primus, ut opinor, introitus fuit in cauſam [4] fabulæ Clodianæ: in qua ego nactus, ut mihi videbar, locum reſecandæ libidinis, & coercendæ juventutis, vehemens fui, & omnes profudi vires animi, atque ingenii mei, non odio adductus alicujus, ſed ſpe Reipublicæ corrigendæ, & ſanandæ civitatis. Afflicta Reſpublica eſt [5] empto, ſtupratóque judicio. Vide, quæ ſint poſtea conſecuta. Conſul eſt impoſitus is nobis, quem nemo præter nos philoſophos aſpicere ſine ſuſpirio poſſet. Quantum hoc vulnus? Facto ſenatus-conſulto [6] de ambitu, [7] de judiciis, [8] nulla lex perlata, [9] exagitatus Senatus, [10] alienati Equites Romani. Sic [11] ille annus duo firmamenta

L 2

homo, ſed littus &c. Ariadnen, cùm ſola in deſerta eſſet inſula, eodem modo loquentem facit Ovidius, Heroid. X. 18.

Quod videant oculi, nil, niſi littus, habent. Olivetus.

3. *Voluntas*] Mihi veroſimillimum videtur, librariorum culpâ τὸ *Voluntas* irrepſiſſe ex interpretatione quadam magiſtri, qui τὸ *animus* notiore voce hac explanavit. Hanc ſi expunxeris, omnia liquida erunt: *In republica verò, quanquam animus eſt præſens, tamen etiam atque etiam ipſa medicinam effugit*, ſcilicet reſpublica. Quod cùm aut deſcriptor aut ſciolus ignoraret, quò nimirum vox *ipſa* referendum eſſet, *inſeruit* ex margine *voluntas*. Senſus enim hic eſt: Mihi eſt voluntas animúſque reipublicæ malis medendi: ſed ipſa reſpuit medicinam, ac ſalutares manus, non admittit ſana conſilia. Grævius.

4. *Fabula Clodianæ*] Legendum, *fabula Clodiana*. Primus ſcilicet meus introitus in cauſam fuit fabula Clodiana, hoc eſt, prima cauſa reipublicæ, quam ego ingreſſus ſum & ſuſcepi, fuit inceſtum Clodii. Gronovius.

5. *Empto, conſtupratóque judicio*] Empto, quia judices, acceptâ pecuniâ, Clodium nocentem abſolverunt; conſtuprato, quia noctes certarum mulierum atque adoleſcentulorum nobilium introductiones nonnullis judicibus pro mercedis cumulo fuerunt. Manutius.

6. *De ambitu*] Ut, qui nummos dediſſet, is, quoad viveret, ſingulis tribubus H-S tria millia deberet. Epiſt. 15. Idem.

7. *De judiciis*] Ut quæreretur de iis, qui ob rem judicandam pecuniam accepiſſent. Ep. 15. Idem.

8. *Nulla lex perlata*] Tribuni plebis interceſſerunt, quò minùs lex ferri poſſet. Id.

9. *Exagitatus Senatus*] A tribunis plebis ſeditiosè concionantibus. Idem.

10. *Alienati*] A Senatu; quia decreviſſet, ut quæreretur de iis, qui ob judicandum accepiſſent. Ep. 15. Idem.

11. *Ille annus*] Proximus ſuperior, M. Meſſalla & M. Piſone Coſſ. Idem.

mamenta Reipublicæ per me unum conſtituta, evertit; nam & Senatûs auctoritatem abjecit; & ordinum concordiam disjunxit. [12] Inſtat hîc nunc ille annus egregius. Ejus initium ejuſmodi fuit, ut anniverſaria ſacra Juventutis non committerentur. Nam M. Luculli uxorem Memmius ſuis ſacris initiavit. [13] Menelaus, ægrè id paſſus, divortium fecit. Quanquam ille [14] paſtor Idæus Menelaum ſolum contempſerat: hic noſter Paris [15] tam Menelaum, quàm Agamemnonem, [16] liberum non putavit. Eſt autem C. Herennius quidam Tribunus plebis, quem tu fortaſſe ne noſti quidem: tametſi potes noſſe: tribulis enim tuus eſt; & Sextus, pater ejus nummos [17] vobis dividere ſolebat. Is ad plebem P. Clodium [18] traducit; idémque fert, [19] ut univerſus populus

12. *Inſtat hîc nunc ille annus*] Adeſt annus Q. Metello Celere & Afranio Coſſ. cujus initium ejuſmodi fuit ut ſacra Juventutis Deæ, quæ pro ſalute juvenum quotannis fiebant, non celebrarentur; propterea quòd C. Memmius, qui ſacris iſtis præerat, uxorem M. Luculli vitiavit, atque ita ſacris ſuis initiavit: quod ægrè paſſus Lucullus, cum uxore divortium fecit. Eſt autem hic Memmius ille de quo lib. IV, qui ex petitione Conſulatûs cum Meſſalla & Scauro, de ambitu damnatus in exilium abiit: infamis ſtupris & adulteriis, & Catulli carminibus proſciſſus, laudatus à Lucretio. POPMA.

13. *Menelaus*] Lucullus, vitiatæ mulieris vir, ut Helenæ Menelaus. MANUTIUS.

14. *Paſtor Idæus*] Stuprator Helenæ Paris, à paſtoribus in Ida monte educatus, paſtorque ipſe diù creditus. IDEM.

15. *Tam Menelaum, quàm Agamemnonem*] Tam M. Lucullum, quàm Lucium, ejus fratrem. Paris, inquit, ille Trojanus ſolum Menelaum affecit injuriâ, fratrem ejus Agamemnonem ſeparatim nullâ re læſit: noſter autem Paris Memmius tam Menelaum contempſit, quàm Agamemnonem antè contempſerat: id eſt, qui antè L. Lucullo injuriam fecerat, cùm eum ex bello Mithridatico redeuntem tribunus plebis, die ad populum dictâ, triumphare aliquandiu prohibuit, idem nunc Marcum, ejus fratrem, non dubitavit offendere. Sed de injuriâ, in Lucium illatâ, quæret aliquis, unde hauriam. Unde, niſi ex hiſtoriæ fonte? Plutarchus in Lucullo. IDEM.

16. *Liberum non putavit*] Nihili fecit: liberi hominis loco non habuit. IDEM.

17. *Vobis*] Qui in veſtra tribu diviſor eſſet. Sic ep. 16. h. l. CORRADUS.

18. *Traducit*] Ut adoptione plebeius fiat. Nam, quia tribunatus plebis patricio homini non dabatur, ideo Clodius, qui patriciæ gentis erat, ad plebem tranſire adoptionis jure cupiebat. MANUTIUS.

19. *Ut univerſus populus*] Hinc patet Herennium tentaſſe Clodium ad plebem traducere, non recepto more, comitiis ſcilicet Curiatis, quibus adoptiones fiebant in alienam familiam, ſed Tributis, quæ ipſe vocare poſſet. Nam ad comitia Curiata non univerſus populus conveniebat, ut ad Centuriata & Tributa, ſed urbanus duntaxat. Centuriata autem habere Tribuni non poterant. Inde fiebat ut Herennius Tribunus plebis non aliis quàm Tributis de Clodio referre cogitaret. Ea autem ſæpenumerò in campo Martio habebantur, cùm intrà pomœrium Curiata fierent. BOSIUS.

20. *Lentius*] Ignavius, tardius. MANUT.

21. *Imminuit auctoritatem*] Quia cùm Metellus patricium magiſtratum gereret, hoc eſt, Conſul eſſet, plebeium magiſtratum pati non debebat id ſibi juris arrogare, ut de adoptione Tributis comitiis ferre auderet, quod erat patriciorum duntaxat magiſtratuum, comitiiſque Curiatis, ut dixi-

pulus in campo Martio ſuffragium de re Clodii ferat. Hunc ego accepi in Senatu, ut ſoleo: ſed nihil eſt illo homine[20] lentius. Metellus eſt Conſul egregius, & nos amat; ſed[21] imminuit auctoritatem ſuam,[22] quòd habet dicis causâ promulgatum illud idem de Clodio.[23] *Auli* autem filius, ô dii immortales! quàm ignavus, *ac ſine animo*[24] *miles*, quàm dignus,[25] qui Palicano, *ſicut facit*, *os ad malè audiendum* quotidie præbeat![26] *Agraria autem promulgata* eſt à Flavio, ſanè levis, eadem ferè, *quæ fuit Plotia*. Sed interea[27] πολιτικὸς ἀνὴρ καὶ ὄναρ quiſquam inveniri poteſt. Qui poterat, familiaris noſter (ſic eſt enim; volo te hoc ſcire)[28] Pompeius togulam illam pictam ſilentio tuetur ſuam. Craſſus verbum nullum contra gratiam.

diximus, tantummodò fiebat, quæ à Tribunis plebis cogi non poterant. Bosius.

22. *Quod habet dicis causâ*] Cùm de arrogando quopiam agebatur, rogationem ferri oportebat comitiis Curiatis, ut ſciſceret populus in curias tributus jùſne eſſet ei, *qui* ſe arrogandum dabat, in alterius *jus & ſacra tranſire*. Nam in hujuſmodi adoptionibus potiſſimùm ſacrorum ratio habebatur. Idcircò comitiorum Curiatorum arbitri erant Pontifices, ut refert Gellius; quem miror de ſacris hereditariis nullum verbum feciſſe, cùm de arrogationibus ageret, quæ comitiis Curiatis fiebant. Intererat verò cujuſque Curiæ, ne ſua ſacra interirent, néve quis veteribus ſacris ſolveretur. Veruntamen, quia, quod ab univerſo populo Romano jubebatur, id non minoris erat auctoritatis, immò etiam majoris, quàm quod ab urbano tantùm, ut in Curias tributo; ideò ſcitum illud de arrogando Clodio Metellus dicis causâ promulgatum habebat, cùm nihil referre putaret Tributis comitiis an Curiatis, ea arrogatio fieret; modò dici poſſet populum ad legem de adoptione ferendam conveniſſe. Nam *dicis causâ tantùm*, & ad uſurpationem antiquitatis comitia Curiata habebantur, cùm neceſſe non videretur ut de arrogatione populus ſententiam ferret, niſi quatenus id fuerat à veteribus uſurpatum. Quapropter Metellus comitiis Tributis populum dicis causâ rectè rogari poſſe exiſtimabat. Non diù tamen in eâ ſententiâ permanſit. Nam ſimulac poſtea intellexit Clodium Tribunatum plebis petere, ei acerrimè reſtitit; atque ut eum ab ea petitione ſubmoveret, palàm dicebat, eum more majorum comitiis Curiatis arrogatum non fuiſſe, ut refert Dio. Idem. *Dicis causâ* eſt perfunctoriè, & ad ſpeciem, non verè. Varro: *Dicis causâ fiebant quædam, neque item dicta, neque facta ſemper*. Popma.

23. *Auli filius*] L. Afranius.

24. *Miles*] Quòd minimè milites imitaretur, qui & ſtrenui, & animoſi ſolent eſſe: Afranius autem ignavus, & ſine animo. Vel, *Miles*, quia cum Pompeio diù militaverat. Manutius. Legendum, *quàm ignavus ac ſine animo*, millies *dignus* &c. Muretus.

25. *Qui Palicano*] Quem Palicanus (de quo ſuprà, ep. 1.) ſicut facit, quotidie probris, maledictiſque vexet. Manutius.

26. *Agraria*] de qua fuſiùs in epiſtola, quæ proximè ſequitur.

27. Πολιτικὸς ἀνὴρ καὶ ὄναρ] Civilis & Reipublicæ ſtudioſus vir neque in ſomnis. Proverb. ne per ſomnium quidem. Corr.

28. *Pompeius togulam*] Pompeio victori ex Aſia conceſſum erat, ut ludis Circenſibus togâ pictâ, coronâ aureâ, & omni cultu triumphantium uteretur, ut referunt Dio lib. XXXVII. & Velleius lib. II. Hac ergo inani gloriolâ Pompeius tacitus fruebatur; neque verbum contra quemquam pro republ. faciebat. Popma.

[29] Cæteros jam noſti: qui ita ſunt ſtulti, ut amiſsâ Republicâ [30] piſcinas ſuas fore ſalvas ſperare videantur. Unus eſt qui curet, conſtantiâ magis, & integritate, quàm, ut mihi videtur, conſilio, aut ingenio, Cato; qui miſeros [31] publicanos, quos habuit amantiſſimos ſui, tertium jam menſem vexat, neque iis à Senatu reſponſum dari patitur. Ita nos cogimur reliquis de rebus nihil decernere antè, quàm publicanis reſponſum ſit. Quare etiam [32] legationes rejectum iri puto. Nunc vides, quibus fluctibus jactemur: etſi ex iis, quæ ſcripſimus, [33] tanta etiam à me non ſcripta perſpicis. Reviſe nos aliquando, & quanquam ſunt hæc loca fugienda, quò te voco, tamen fac ut amorem noſtrum tanti æſtimes, ut eo vel cum his moleſtiis perfrui velis. Nam ne abſens cenſeare, curabo edicendum, & proponendum locis omnibus. [34] Sub luſtrum autem cenſeri, [35] germani negotiatoris eſt. Quare cura, ut te quamprimùm videamus. Kal. Febr. Q. Metello, & L. Afranio Coſſ.

29. *Cæteros*] Ut Philippum, Hortenſium, & Lucullum. CORRADUS.

30. *Piſcinas fore ſalvas*] Hinc *Piſcinarios* vocat ep. ſeq. & ep. 20. h. l. & ep. 1. lib. II. Plin. IX. cap. 4. & Varr. lib. III. cap. 3. de re Ruſt. IDEM.

31. *Publicanos*] Vide ſuperiorem epiſtolam, & Cic. III. de Off. cap. 22.

32. *Legationes*] Vide ſuprà, epiſt. 14.

33. *Tanta etiam*] Cicero ſcripſit: *Tantâ es perſpicacitate, etiam à me ſcripta non perſpicis. Sed reviſe* &c. MURETUS.

34. *Sub luſtrum*] Paulò antè luſtrum: quod fiebat omnibus jam cenſis. Livius lib. I. *Servius Tullius, cenſu perfecto, inſtructum exercitum omnem ſue, ove, tauriſque tribus luſtravit: idque conditum luſtrum appellatum, quia in cenſendo finis factus eſt. Sub lucem*, Virgilius dixit: *ſub horam pugnæ*, Sueto-nius; pro, paulò antè. MAN.

35. *Germani negotiatoris*] Quia negotiatores peregrinabantur: &, quanquam cenſum audirent Romæ promulgatum, reditum tamen quàm maximè poterant differentes, qui à ſua re admodum ægrè divellerentur, non niſi ſub luſtrum veniebant, civibus ferè omnibus jam cenſis. *Germani*, meri, nimiùm cupidi, & in lucello ſuprà quàm ſatis eſt occupati, unde, *Germana ironia*, *Germana patria*, & hujuſmodi apud Ciceronem. IDEM.

CICERO ATTICO SAL.

19 NON modò, ſi mihi tantum eſſet otii, quantum eſt tibi, verùm etiam, ſi tam breves epiſtolas velim mittere, quàm tu ſoles facere, te ſuperarem, & [1] in ſcripto multò eſſem crebrior, quàm tu: ſed ad ſummas, atque incredibiles occupationes

1. *In ſcripto*] Lege, *in ſcribendo*. MUR.

nes meas accedit, quòd nullam à me epistolam ad te sino absque argumento ac sententia pervenire. Et primùm tibi, ut æquum est, civi amanti patriam, quæ sunt in Republica, exponam: deinde, quoniam tibi amore nos proximi sumus, scribemus etiam de nobis ea, quæ scire te non nolle arbitramur. Atque in Republica nunc quidem maximè Gallici belli versatur metus. Nam Edui, [2] *fratres nostri*, [3] *pugnant: Sequani permalè pugnarunt: & Helvetii sine dubio sunt in armis, excursionésque* [4] *in provinciam faciunt.* Senatus decrevit, ut Consules duas *Gallias* sortirentur, *delectus haberetur*, [5] vacationes ne valerent, legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliæ civitates, daréntque operam, ne eæ cum Helvetiis se jungerent. Legati sunt [6] Q. Metellus Creticus, & [7] L. Flaccus, &, [8] τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, Lentulus [9] Clodiani filius. Atque hoc loco illud non queo præterire, quòd, [10] cùm de Consularibus mea prima sors exisset, unâ voce Senatus frequens retinendum me in urbe censuit. Hoc idem post me Pompeio accidit: ut nos duo, quasi pignora Reipublicæ retineri videremur. [11] Quid enim ego aliorum in me [12] ἐπιφωνήματα expectem, cùm hæc domi nascantur? Urbanæ autem res sic se habent. Agraria lex à Flavio Tribuno plebis vehementer agitabatur [13] auctore Pompeio: quæ nihil populare

2. *Fratres nostri*] Senatus, cognitâ Eduorum fide, Fratres, Consanguineósque sæpenumerò appellaverat. Cæsar, Plutarchus, Strabo, Tacitus. Manutius.

3. *Pugnant*] Cum Sequanis. Ad extremum Sequani, Germanis mercede conductis, victoriâ potiti. Cæsar. Idem.

4. *In provinciam*] Scilicet Narbonensem, nunc Languedoc & Provence. Vide de hâc excursione Cæsar. Commentar. I. de bell. Gall. Grævius.

5. *Vacationes*] In magno tumultu & extremâ reipublicæ necessitate cùm delectus fiebat, etiam illi qui vacationem à militia habebant, ut senes, valetudinarii, opifices nomina dare cogebantur. Popma.

6. *Q. Metellus Creticus*] A Cretâ paulò antè victâ sic dictus. Ep. 8. ad M. Brut. Orat. pro Cn. Planc. & Liv. lib. XCVIII. & XCIX. Corradus.

7. *L. Flaccus*] Pro quo extat Orat. Id.

8. Τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον] *In lente unguentum.* Proverbium de rebus bonis in re vili consumptis. Μύρον est legatio, φακῇ lens, est Lentulus Clodianus. In eo ergo legationem malè collocatam dicit. Ern.

9. *Clodiani*] Carolus Sigonius in Fastis Romanis, ostendit hunc Clodianum fuisse Cn. Cornelium Lentulum, qui Consul fuit anno U. C. 681. cum L. Gellio Poplicola; cui subscribit Stephanus Pighius in Annal. Rom. lib. XVI. Grævius.

10. *Cùm mea prima sors exisset*] Legati sorte aut suffragiis electi mittebantur. Tacitus Historiar. IV. Popma.

11. *Quid enim ego aliorum*] Ἀπολογία, ne verba illa, *nos duo quasi pignora Reipublicæ retineri videremur*, nimis arroganter dixisse videretur. Corradus. Malim, *alienorum*, hoc est, externorum. Malasp.

12. Ἐπιφωνήματα] Laudes.

13. *Auctore Pompeio*] Cujus militibus eâ lege ager dividitur. Dion. l. XXXVII. Corradus. Solebant legem laturi virum magnæ

pulare habebat, præter auctorem. Ex hac ego lege, secundâ concionis voluntate, omnia illa tollebam, quæ ad privatorum incommodum pertinebant: [14] liberabam agrum eum, qui P. Mucio, L. Calpurnio Coss. [15] publicus fuisset: [16] Syllanorum hominum possessiones confirmabam: Volaterranos, & Arretinos, quorum agrum Sylla publicarat, [17] neque diviserat, [18] in sua possessione retinebam: [19] unam rationem non rejiciebam, ut ager hac adventitiâ pecuniâ emeretur, quæ [20] ex novis vectigalibus per quinquennium reciperetur. Huic toti rationi agrariæ Senatus adversabatur, suspicans Pompeio novam quandam potentiam quæri. Pompeius verò ad voluntatem perferendæ legis incubuerat. Ego autem magnâ cum [21] agrariorum gratiâ confirmabam omnium privatorum possessiones: is enim est [22] noster exercitus, hominum, ut tute scis, locupletium. Populo autem, & Pompeio (nam id quoque volebam) satisfaciebam emptione: quâ constitutâ diligenter, & sentinam urbis exhauriri, & Italiæ solitudinem [23] frequentari posse arbitrabar. Sed hæc tota res interpellata [24] bello refrixerat. Metellus est consul sanè bonus, & nos admodum diligit. Ille alter ita nihil est, ut planè [25] quid emerit nesciat. Hæc sunt in Republica, nisi etiam illud ad Rempublicam putes pertinere, Herennium quendam, Tribunum plebis, tribulem tuum, sanè hominem nequam, atque egentem, sæpè jam [26] de P. Clodio ad plebem traducendo agere cœpisse. Huic frequenter interceditur. Hæc sunt, ut opinor, in Republica. Ego autem, ut semel [27] Nonarum illarum Decembrium, junctam invidiâ, ac multorum inimicitiis, eximiam quan-

magnæ dignationis & auctoritatis producere in Rostra, nonnunquam plures, qui populo suaderet, ut legem hanc, quam erat lator rogaturus, velit jubere. Is dicebatur *auctor*. GRÆVIUS.

14. *Liberabam*] eximebam è lege: possessoribus relinqui volebam. Flavius autem in lege tulerat, ut privatis ademptus divideretur populo Romano, eisque tantùm pecuniæ redderetur, quantùm pro ejus agri emptione numerassent. MANUT.

15. *Publicus fuisset*] Qui cùm post eos consules privatis esset venditus, plebi quasi publicum distribui Cicero nolebat. IDEM.

16. *Syllanorum hominum possessiones*] Victor Sylla donaverat amicis suis eorum agros, qui Marium secuti contra ipsum arma tulerant. IDEM.

17. *Neque diviserat*] Vide Fam. XIII. 4.

18. *In sua possessione*] Nam in lege Flavius posuerat, ut, quando eorum agri à Sylla publicati fuerant, publicè dividerentur. IDEM.

19. *Unam rationem*] Unum illud caput Cicero probabat, de pecuniâ ex novis vectigalibus cogendâ, qua emptus ager plebi divideretur. Tulerat enim Flavius, ut vel agri, qui aut tum essent, aut aliquando publici fuissent, vel, si hoc non placeret, alii agri, novorum vectigalium pecuniâ empti,

quandam, atque immortalem gloriam consecutus sum; non destiti eâdem animi magnitudine in Republica versari, & illam institutam ac susceptam dignitatem tueri. Sed postea quàm primùm Clodii absolutione levitatem, infirmitatémque judiciorum perspexi; deinde vidi nostros publicanos facilè à Senatu disjungi, quanquam à me ipso non divellerentur: tum autem beatos homines (hos [28] *piscinarios dico*, amicos tuos) non obscurè *nobis invidere: putavi*, mihi majores quasdam opes, & firmiora *præsidia esse quærenda*. Itaque primùm eum, qui nimiùm diù de rebus nostris tacuerat, Pompeium adduxi in eam voluntatem, ut in Senatu non semel, sed sæpè, multisque verbis hujus mihi salutem imperii, atque orbis terrarum adjudicarit. Quod non tam interfuit mea, (neque enim illæ res aut ita sunt obscuræ, ut testimonium, aut ita dubiæ, ut laudationem desiderent) quàm Reipublicæ, quòd erant quidam improbi, qui contentionem fore aliquam mihi cum Pompeio, ex rerum illarum dissensione arbitrarentur. Cum hoc ego me tantâ familiaritate conjunxi, ut uterque nostrûm in sua ratione munitior, & in Republica firmior hac conjunctione esse possit. Odia autem illa *libidinosæ* & delicatæ juventutis, quæ erant in me incitata, sic mitigata sunt comitate quadam meâ, me unum ut omnes illi colant. *Nihil jam denique* à me asperum in quemquam sit, *nec tamen quicquam populare*, ac dissolutum: sed ita temperata tota ratio est, ut Reipublicæ constantiam præstem; privatis rebus meis, propter infirmitatem bonorum, iniquitatem malevolorum, odium in me improborum, adhibeam quandam

empti, plebeiis agros non habentibus distribuerentur. Secundum caput Cicero probavit. Idem.

20. *Ex novis vectigalibus*] Quæ autem erant nova vectigalia? Bello scilicet proximis annis quæsita, nationibus maximè per Cn. Pompeium in populi Romani potestatem redactis. Idem.

21. *Agrariorum*] Agripetarum. Corrad.

22. *Noster exercitus*] Hoc est, ii, qui nobis favent. Infimi enim, & pauperes, ut rerum novarum cupidi, Ciceronem haud omnes amabant, quem scirent in consulatu acerbissimum iis fuisse, qui res novas quæsierant. Locupletes contrà in oculis ferebant, cujus vigilantiâ sublatam conjurationem intelligerent, quam egentes, & perditi cives, divitum fortunis infensi, feciſſent. Manutius.

23. *Frequentari*] Deductis coloniis.

24. *Bello*] Timore Gallici belli, maximéque Helvetiorum. Manutius.

25. *Quid emerit*] L. Afranius emerat consulatum: quem tamen ignorare nunc videtur. Ep. 13. Idem.

26. *De P. Clodio*] Vide suprà, ep. 16.

27. *Nonarum illarum Decembrium*] Quo die supplicium sumpsit de conjuratis. Id.

28. *Piscinarios*] Hortensium, Lucullum.

cautionem, & diligentiam; atque ita tamen iis novis amicitiis implicati ſumus, ut crebrò mihi vafer ille Siculus inſuſurret Epicharmus cantilenam illam ſuam:

[29] Νῆφε καὶ μέμνασ' ἀπιϛεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Ac noſtræ quidem rationis, ac vitæ quaſi quandam formam, ut opinor, vides. [30] De tuo autem negotio ſæpè ad me ſcribis; cui mederi nunc non poſſumus. Eſt enim illud ſenatus-conſultum ſummâ [31] pedariorum voluntate, nullius noſtrûm auctoritate factum. Nam, quòd [32] me eſſe ad ſcribendum vides, ex ipſo ſenatus-conſulto intelligere potes, [33] aliam rem tum relatam; hoc autem *de populis liberis*, ſine causâ additum, & ita factum eſt à P. Servilio filio, qui in poſtremis ſententiam dixit; ſed immutari hoc tempore non poteſt. Itaque [34] conventus, qui initio celebrabantur, jam diù fieri deſierunt. Tu ſi tuis blanditiis tamen à Sicyoniis nummulorum aliquid expreſſeris, velim, me facias certiorem. Commentarium Conſulatûs mei Græcè compoſitum miſi ad te: in quo ſi quid erit, quod homini Attico minùs Græcum, eruditúmque videatur; non dicam, quod tibi, ut opinor, Panormi Lucullus de ſuis hiſtoriis dixerat; ſe, quò faciliùs illas probaret Romani hominis eſſe, idcircò barbara quædam & σόλοικα diſperſiſſe. Apud me ſi quid erit ejuſmodi, me imprudente erit, & invito. Latinum ſi perfecero, ad te mittam; [35] tertium poema expectato, ne quod genus à me ipſo laudis meæ prætermittatur. Hîc tu, cave, dicas,

29. Νῆφε καὶ μέμνασ' ἀπιϛεῖν] Q. Cicero in libello de petitione Conſulatûs ita vertit, *Sobrius eſto, atque illud teneto, nervos, atque artus eſſe ſapientiæ, non temerè credere.* de Pet. Conſul. cap. 10.

30. *De tuo autem negotio*] De exactione pecuniæ vectigalis à Sicyoniis, quam Atticus ſuo vel publicanorum nomine urgebat: ſed quia ſenatus-conſultum liberos populos, inter quos erant Sicyonii, excipiebat liberabátque à penſitatione, ideò illi nolebant ſolvere. POPMA.

31. *Pedariorum*] Senatores, qui curules magiſtratus geſſiſſent, curru in curiam honoris gratiâ vehebantur: cæteri pedibus ibant: unde Pedariorum nomen. Gellius lib. III. cap. 18. MANUTIUS.

32. *Me eſſe ad ſcribendum*] Me affuiſſe, dum ſcriberetur ſenatus-conſultum. IDEM.

33. *Aliam rem*] Primò relatum eſt non de populis liberis, ſed aliâ de re, ut ex ipſo ſenatus-conſulto potes intelligere: deinde ex ſententia Servilii additum eſt illud, ne liberi populi cogerentur ſolvere. Quòd ſi de populis primò actum eſſet, ego, qui ſcirem à Sicyoniis pecuniam tibi deberi, tuâ causâ repugnaſſem, neque ſcribendo affuiſſem. Ep. 1. lib. II. IDEM.

34. *Conventus*] Hominum, qui ſenatus-conſultum induci cupiebant. CORRADUS.

35. *Tertium poema*] Tertium opus de conſulatu meo. Primus enim commentarius Græcè compoſitus, alter Latinus, tertium poema. MANUTIUS.

cas, [36] τίς πατέρ' αἰνήσει; si est enim apud homines quidquam, quod potius sit, laudetur; nos vituperemur, qui non potiùs alia laudemus. Quanquam non [37] ἐγκωμιαστικὰ sunt hæc, sed ἱστορικὰ, quæ scribimus. Quintus frater purgat se multum per literas, & affirmat, nihil à se cuiquam de te secus esse dictum. Verùm hæc nobis coràm summâ curâ & diligentiâ sunt agenda; tu modò nos revise aliquando. Cossinius hic cui dedi literas, valde mihi bonus homo, & non levis, & amans tui visus est, & talis, qualem esse eum tuæ mihi literæ nuntiarant. Idibus Mart.

36. Τίς πατέρ' αἰνήσει] Integer versus sic se habet, τίς πατέρ' αἰνήσει, εἰ μὴ κακοδαίμονες υἱοί; *quis patrem laudabit, nisi infelices filii?* Majorum & parentum laudes solent inprimis commemorare, qui ipsi, quod laudem mereatur, non fecerunt. Itaque Cicero veretur, ne Atticus sibi laudanti superiorum temporum res gestas, in libro de Consulatu & aliis, occinat illud: Τίς πατέρ' αἰνήσει &c. Adeóne ab ingenio & superiorum temporum consuetudine desciviſti, ut sola illa, quæ olim gesseris, laudes, quasi nunc nihil laudabile facias. Ern.

37. Ἐγκωμιαστικὰ] Laudatoria.

Cicero Attico Sal.

Cum è [1] Pompeiano me Romam recepissem a. d. IV Idus Maii, Cincius noster eam mihi abs te epistolam reddidit, quam tu Idib. Febr. dederas ei. Nunc epistolæ literis his respondebo. Ac primùm, tibi perspectum esse judicium de te meum, lætor; deinde, te in iis rebus, quæ mihi asperiùs à nobis, [2] atque à nostris, & injucundiùs actæ videbantur, moderatissimum fuisse, vehementissimè gaudeo; idque neque amoris mediocris, [3] & ingenii summi, ac sapientiæ judico. Qua de re cùm ad me ita suaviter, diligenter, officiosè, & humaniter scripseris, ut non modò te hortari ampliùs non debeam, sed ne expectare quidem abs te, aut ab ullo homine tantum facilitatis, ac mansuetudinis potuerim; nihil duco esse commodius, quàm de his rebus nihil jam ampliùs scribere. Cùm erimus con- 20

M 2 gressi;

1. *Pompeiano*] Fuit oppidum, cui nomen *Pompeii*, quod Sarno amne alluebatur. Nunc rudera. *Plin. Hard.* noviſſimæ editionis Tom. I. p. 154.

2. *Atque à nostris*] Videtur esse quædam ἐπανόρθωσις, vel ἐπεξήγησις, hoc modo, *à nobis, atque ideò à nostris:* vel *à nobis*, id est, *à nostris*. Significat autem Q. Fr. & Pomponiam. Ep. 17. h. l. Corr.

3. *Et ingenii*] Fortasse, *at ingenii*. Mur.

greſſi; tum, ſi quid res feret, coràm inter nos conferemus. Quod ad me de Republica ſcribis, diſputas tu quidem & amanter, & prudenter; & à meis conſiliis ratio tua non abhorret. Nam neque de ſtatu nobis noſtræ dignitatis eſt recedendum, [4] neque ſine noſtris copiis intra alterius præſidia veniendum: & [5] is, de quo ſcribis nihil habet amplum, nihil excelſum, nihil non ſummiſſum, atque populare. Veruntamen fuit ratio mihi fortaſſe ad tranquillitatem meorum temporum non inutilis; ſed mehercule Reipublicæ multò etiam utilior, quàm mihi, civium improborum impetus in me reprimi, cùm hominis ampliſſimâ fortunâ, auctoritate, gratiâ fluctuantem ſententiam confirmaſſem, & [6] à ſpe malorum ad mearum rerum laudem convertiſſem. Quod ſi cum aliqua levitate mihi faciendum fuiſſet, nullam rem tanti æſtimaſſem; ſed tamen à me ita acta ſunt omnia, non ut ego illi aſſentiens levior, ſed ut ille me probans gravior videretur. Reliqua ſic à me aguntur, & agentur, ut non committamus, ut ea, quæ geſſimus, fortuitò geſſiſſe videamur. [7] Meos bonos viros, illos quos ſignificas, & eam, quam mihi dicis obtigiſſe, [8] σπάρταν, non modò nunquam deſeram; ſed etiam, ſi ego ab illa deſerar, tamen in mea priſtina ſententia permanebo. Illud tamen velim exiſtimes, me hanc viam optimatium [9] poſt Catuli mortem nec præſidio ullo, nec comitatu tenere. Nam, ut ait [10] Rhinton, ut opinor,

[11] Οἱ μὲν παρ' ᾠδὴν εἰσιν, οἷς δ' ᾠδὴν μέλει.

Mihi verò ut invideant [12] piſcinarii noſtri, aut ſcribam ad te aliàs,

4. *Neque ſine noſtris copiis*] Non debeo Pompeii amicitiam tanti facere, ut veteres amicorum copias negligam, ſine quibus intra alterius præſidia venire, id eſt, uni Pompeio me totum credere, tutum non eſt. Sic igitur faciam: firmabo, ut inſtitui, meas opes amicitiâ Pompeii: & tamen, quia non unius fidei ſunt omnia committenda, veterum amicorum præſidia non dimittam. Hæ ſunt enim copiæ noſtræ. MANUTIUS.

5. *Is, de quo ſcribit*] Pompeius.

6. *A ſpe malorum*] Speraverant enim improbi homines contentionem mihi fore aliquam cum Pompeio ex rerum, quas in conſulatu geſſeram, diſſenſione. MANUT.

7. *Bonos viros*] Quos paulò antè ſuas Copias vocavit. *Meos*: alii, *eos*. IDEM.

8. Σπάρταν] Remp. quam ſemel tuendam ſuſcepi, nunquam deſeram. Adagium eſt in Suida, & Plutarcho, Σπάρταν ἔλαχες, ταύτην κόσμει; de iis, quibus, cùm fortunæ munere contigiſſet, ut Spartæ naſcerentur, degenerare à tam nobilis patriæ teſtatâ virtute ſine magno dedecore non liceret. IDEM.

9. *Poſt Catuli mortem*] Q. Catulus, M. Cato, & M. Cicero in defendendâ Reipublicæ libertate, & tuendis optimatium partibus mirè conſentiebant, ut ſcribit Plutarchus in Craſſo. Ex his Catulus paulò antè obierat. POPMA.

aliàs, aut in congressum nostrum reservabo. A Curia autem nulla me res divellet: vel quòd ita rectum est; vel quòd rebus meis maximè consentaneum: vel quòd, à Senatu quanti fiam, minimè me pœnitet. [13] De Sicyoniis, ut ad te scripsi antea, non multùm spei est in Senatu. *Nemo est enim jam, qui queratur. Quare, si id expectas, longum est: aliâ viâ, si quâ potes, pugna. Cùm est actum, neque animadversum est* [14] *ad quos pertineret; & raptim in eam sententiam pedarii cucurrerunt. Inducendi senatus consulti maturitas nondum est: quòd neque sunt qui querantur;* & multi partim [15] malevolentiâ, partim opinione æquitatis delectantur. Metellus tuus est egregius consul. Unum reprehendo, quòd otium è Gallia nuntiari non magnopere gaudet. Cupit, credo, triumphare. Hoc vellem mediocrius. Cætera egregia. Auli verò filius ita se gerit, ut ejus Consulatus non Consulatus sit, sed Magni nostri [16] ὑπώπιον. De meis scriptis, misi ad te Græcè perfectum Consulatum meum. Eum librum L. Cossinio dedi. Puto te Latinis meis delectari; huic autem [17] Græco Græcum invidere. Alii si scripserint, mittemus *ad te*; sed, mihi crede, simul atque hoc nostrum legerunt, *nescio quo pacto* retardantur. Nunc (ut ad rem meam redeam) *L. Papirius Pætus, vir bonus*, amatórque noster, *mihi libros eos, quos* [18] *Serv. Claudius* reliquit, donavit. Cùm mihi, [19] per legem *Cinciam* licere capere, [20] *Cincius* amicus tuus diceret, libenter dixi, me accepturum, si attulisset. Nunc,

10. *Rhinton*] Poeta comicus Tarentinus: de quo Suidas. Manutius.

11. Οἱ μὲν παρ' ἀδὲν εἰσιν, οἷς εἰ ἀδὲν μέλει] Iambicus senarius. Latinè sic: *Alii quidem propè nihil sunt, aliis autem nihil curæ est.* Qui me, inquit, recta sentientem adjuvare, & in optimatum viâ pergentem forsitan sequi vellent, infirmi ab auctoritate non possunt; qui possent, negligunt. Idem.

12. *Piscinarii*] Hortensius, Lucullus.

13. *De Sicyoniis*] Epistolâ superiore.

14. *Ad quos pertineret*] Non animadversum est, illud, *De populis liberis*, addi sine multorum damno non posse. Hæc iterum, & planiùs epist. 1. lib. II. Manutius.

15. *Malevolentiâ*] In creditores. *Æquitatis*: in debitores, qui cùm liberi sint, æquum non videtur eos cogi. Idem.

16. Ὑπώπιον] Macula, vulnus.

17. *Græco Græcum*] Libro Atticum. Man.

18. *Serv. Claudius*] Libri vulgati nonnulli *Clodius*, mutatione non necessariâ: idem enim nomen Grammatici celebris: & Serv. Claudium, ut Cicero hîc, nominat Gellius lib. XIII. cap. 21. Serv. Clodium Plinius lib. XXXIII. cap. 4. & Suetonius in libro de claris Grammaticis. Fuit autem frater Papirii Pæti, aut consobrinus, aut ex eadem matre, diverso patre: de quo in epist. ad Pætum. Popma.

19. *Per legem Cinciam*] Quæ erat de donis & muneribus. Jocatur. Manutius.

20. *Cincius*] Hîc Attici negotia Romæ procurabat. Epist. 6. Idem.

si me amas, si te à me amari scis, enitere per amicos, clientes, hospites, libertos denique, ac servos tuos, ut [21] scheda ne qua depereat. Nam & Græcis his libris, quos suspicor, & Latinis, quos scio illum reliquisse, mihi vehementer opus est. Ego autem quotidie magis, quod mihi de forensi labore temporis datur, in iis studiis conquiesco. Per mihi, per, inquam, gratum feceris, si in hoc tam diligens fueris, quàm soles in his rebus, quas me valdè velle arbitraris: ipsiúsque Pæti tibi negotia commendo: de quibus tibi ille agit maximas gratias: & ut jam invisas nos, non solùm rogo, sed etiam suadeo.

21. *Scheda*] Est à Græco χέδη, & hoc à χεδὸν, unde & χέδιον, *schedium*. Vide Festum in *Schedia*. GRÆVIUS. *Scheda* est plagula chartæ ex scapo revulsa, quibus committebant veteres quidquid subitò commentabantur, ut emendatum postea in mundiorem chartam scriberetur. SALM.

EPISTOLARUM AD ATTICUM

LIBER II.

CICERO ATTICO SAL.

1 KALENDIS Jun. eunti mihi [1] Antium, & gladiatores M. Metelli cupidè relinquenti, venit obviam tuus puer. Is mihi literas abs te, & commentarium Consulatûs mei Græcè scriptum reddidit: in quo lætatus sum, me aliquanto antè de iisdem rebus Græcè item scriptum librum L. Cossinio ad te perferendum dedisse. Nam, si ego tuum antè legissem, furatum me abs te esse diceres. Quanquam tua

1. *Antium*] Ubi domum habebat. Vide ep. 8. lib. IV. CORRADUS.

tua illa (legi enim libenter) horridula mihi, atque incompta visa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, quòd ornamenta neglexerant; &, ut [2] mulieres, ideò benè olere, quia nihil olebant, videbantur. Meus autem liber totum Isocrati [3] μυροθήκιον, atque omnes ejus [4] discipulorum arculas, ac nonnihil etiam [5] Aristotelia pigmenta consumpsit: quem tu Corcyræ, ut mihi aliis literis significas, [6] strictim attigisti; pòst autem, ut arbitror, à Cossinio accepisti; quem tibi ego non essem ausus mittere, nisi eum lentè ac [7] fastidiosè probavissem. Quanquam ad me rescripsit jam Rhodo Posidonius, se, nostrum illum [8] ὑπόμνημα cùm legeret, quod ego ad eum, ut ornatiùs de iisdem rebus scriberet, miseram, non modò non excitatum esse ad scribendum, sed etiam planè perterritum. Quid quæris? conturbavi Græcam nationem. Ita, vulgò qui instabant, ut darem sibi quod ornarent, jam exhibere mihi molestiam destiterunt. Tu, si tibi placuerit liber, curabis, ut Athenis sit, & in cæteris oppidis Græciæ. Videtur enim posse aliquid nostris rebus lucis afferre. Oratiunculas autem, & quas postulas, & plures etiam mittam: quoniam quidem ea, quæ nos scribimus adolescentulorum studiis excitati, te etiam delectant. Fuit enim mihi commodum, quòd in eis orationibus, quæ *Philippicæ* nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes, & quòd se ab hoc refractariolo judiciali dicendi genere abjunxerat ut [9] σεμνότερός τις, καὶ πολιτικώτερος videretur, curare, ut meæ quoque essent orationes, quæ [10] *Consulares* nominarentur. Quarum una est in Senatu Kal. Jan. altera ad populum de lege agraria; tertia, de Othone; quarta, pro Rabirio; quinta, de proscriptorum filiis; sexta, cùm provinciam in concione deposui; septima,

2. *Mulieres*] Vetus illud in mulieres odoratis unguentis non utentes: *ideò bene olere, quia nihil olerent.* Quod est apud Plautum in Mostellaria. Manutius.

3. *Μυροθήκιον*] Unguentariam thecam.

4. *Discip.*] Theopompi, Ephori, &c.

5. *Aristotelia*] Quæ præcipit Aristoteles, in tertio præsertim libro Rhetor.

6. *Strictim attigisti*] Cursim legisti, missum videlicet ab aliis: (jam enim divulgatus erat; siquidem & Posidonius eum Rhodi legerat, ut infrà proximè) pòst autem eum, opinor, accepisti, quem ego L. Cossinio dederam. Manutius.

7. *Fastidiosè*] Cùm omnia in eo diligentissimè examinassem, usque ad fastidium. Idem.

8. *Ὑπόμνημα*] Commentarium.

9. *Σεμνότερός τις, καὶ πολιτικώτερος*] Gravior quidam, & civilior: grandior aliquis, & Reipublicæ studiosior.

10. *Consulares*] Ut in consulatu habitæ. Corradus.

ptima, quâ Catilinam emiſi; octava, quam habui ad populum poſtridie quàm Catilina profugit; nona in concione, quo die Allobroges indicarunt; decima in Senatu, Nonis Decemb. Sunt præterea duæ breves, quaſi [11] ἀποσπασμάτα legis agrariæ. Hoc totum [12] σῶμα curabo ut habeas. Et quoniam te cùm ſcripta, tum res meæ delectant; iiſdem ex libris perſpicies, & quæ geſſerim, & quæ dixerim: [13] aut ne popoſciſſes; ego enim tibi me non offerebam. Quod quæris, quid ſit, quòd te arceſſam, ac ſimul impeditum te negotiis eſſe ſignificas, neque recuſas, quin, non modò ſi opus ſit, ſed etiam ſi velim, accurras: nihil ſanè eſt neceſſe; veruntamen videbare mihi tempora peregrinationis commodiùs poſſe deſcribere. Nimis abes diù, præſertim cùm ſis in propinquis locis: neque nos te fruimur; & tu nobis cares. Ac nunc quidem otium eſt: ſed, [14] ſi paulò plus furor Pulchelli progredi poſſet, valde ego te iſtinc excitarem. Verùm præclarè [15] Metellus impedit, & impediet. Quid quæris? eſt Conſul [16] φιλόπατρις, &, ut ſemper judicavi, naturâ bonus. Ille autem non ſimulat, ſed planè Tribunus plebis fieri

11. Ἀποσπασμάτα] Appendices.

12. Σῶμα] Corpus.

13. *Aut ne popoſciſſes*] Si orationes, quas mitto, non vis perlegere, non erant tibi poſcendæ; non erat, ut peteres. GRÆV.

14. *Si paulò plus*] Senſus eſt hujus loci ſimpliciſſimus: Si Clodius me infeſtare, vexaréque poſſet vehementiùs, ut vult, te rogarem ut celeriter huc te conferres. IDEM.

15. *Metellus impedit*] Quippe cùm in Senatu dixerit ſe Clodium fratrem patruelem incipientem furere, atque conantem, ſuâ manu interfecturum. Orat. pro M. Cœlio, & Dion. lib. XXXVII. CORRAD.

16. Φιλόπατρις] Studioſus patriæ.

17. *Ædilitatem*] Qui enim ædilitatem petebant, per cauſam fori ornandi & ludorum, ſocios ſpoliabant ſignis, & rebus pretioſioribus, cùm ad eum uſum rogaſſent, nec unquam poſtea redderent. Cauſa autem Clodio in Siciliam eundi fuit, quòd adoptatus fuerat à Fonteio, qui Siculus ipſe erat. Quare ejus furta nunc cavillari mihi Cicero videtur. MURETUS. Ex depravatis codicibus hîc alii aliter legunt. Sed hariolationes meræ cui bono? ubi Victorius Muretúſque offerunt quod conveniat, & ſit ſatis. OLIVETUS.

18. *Freto*] Siculo, quaſi propriè fretum appelletur illud, quod eſt inter Siciliam, & Italiam. CORRADUS.

19. *Tribus horis*] Vetus liber: *at tribus horis*. BOSIUS *Baluzianus*. Cavillatio dicax & moroſa. Jactabat Clodius ſe ſeptimo die à freto Sicilienſi, quod Italiam à Sicilia dividit, Romam veniſſe, noctu introiſſe, neque ſibi obviam quemquam prodire potuiſſe, ob tacitum & ſubitum ſuum adventum. Regerebat Cicero: Etiam tribus horis Româ Interamnam; quoniam Clodius falſis teſtibus in judicio obtinuerat, ſe quâ horâ argueretur in operto Bonæ Deæ deprehenſus, Interamnæ fuiſſe, quod verum eſſe non poterat, cùm multi eum Romæ vidiſſent tribus horis ante deprehenſionem, & Interamna longiùs ab Româ trium horarum itinere abeſſet. Item antè noctu introiſſe, ſcilicet domum Cæſaris Pontificis, ubi mulieres Bonæ Deæ ſacrificabant. Ne tum quidem illi eſſe itum obviam cùm iri maximè debuit, hoc eſt, cùm

fieri cupit. Qua de re cùm in Senatu ageretur, fregi hominem; & inconstantiam ejus reprehendi, qui Romæ Tribunatum plebis peteret, cùm in Sicilia [17] ædilitatem se petere dictitasset. Sed neque magnopere dixi esse nobis laborandum: quòd nihilo magis ei licituram esset plebeio Rempublicam perdere, quàm similibus ejus me Consule patriciis esset licitum. Jam, cùm se ille septimo die venisse à [18] Freto, neque sibi obviam quemquam prodire potuisse, & noctu se introisse dixisset, in eóque se in concione jactasset: nihil ei novi dixi accidisse: ex Sicilia septimo die Romam; [19] tribus horis Româ Interamnam: noctu introisse item antè: non esse itum obviam; ne tum quidem, cùm iri maximè debuit. Quid quæris? hominem petulantem, modestum reddo non solùm perpetuâ gravitate orationis, sed etiam hoc genere dictorum. Itaque jam familiariter cum ipso cavillor, ac jocor. Quin etiam cùm [20] candidatum deduceremus, quærit ex me, num consuessem [21] Siculis locum gladiatoribus dare? Negavi. At ego, inquit, novus patronus instituam: sed soror, quæ tantum habeat [22] Consularis loci, unum mihi so-

cùm debuit resisti, ne reus pollutarum ceremoniarum absolveretur. Jocus in ambigua notione verbi *Ire obviam*, quod & *prodire obviam*, & resistere significat. Popma.

20. *Candidatum*] Candidatos ad commendationem clari viri Martium in campum deducebant. Q. Cicero, de petit. consulatûs. Manutius.

21. *Siculis locum*] Siculis, meis clientibus, locum dare, ubi gladiatorum certamina spectare possent. Amicis enim, & tribulibus ad spectacula locus dabatur: ut in Orat. pro Murena. Idem.

22. *Consularis loci*] Munera gladiatorum in foro dabantur: Consules autem, & alii magistratus ferentes, pro magistratûs dignitate spatium habebant, ubi spectare possent, sive amicis familiaribúsque ad spectandum dare. Virgines item Vestales suum locum gladiatorium habebant, & consulum uxores. Qui magistratus petebant, soliti erant à propinquis & necessariis vel precariò vel mercede magnam vim horum locorum impetrare, & hac liberalitate candidati multorum animos sibi conciliabant: cùm nonnull. etiam nobiles viri in circo totas tabernas tribulium causâ compararent. Decreto autem M. Tullii, liberi posteríque Servii Sulpitii circum eam statuam, quæ illi, quòd ob rempublicam mortem obiisset, in Rostris erecta est, locum gladiatoribus, ludísque habebant quaqua versùs pedes quinque. Cùm igitur Clodius candidatus esset, petierat à sorore Clodiâ, Metello Celeri nuptâ, quæ multum haberet loci consularis, ut sibi aliquantum concederet. Illa autem parum liberaliter ei visa est respondere, cùm unum tantum pedem promisisset. De quo cum Cicerone questus responsum tulit, injuriâ illum de sororis uno pede queri. Posse enim, cùm ei commodum esset, etiam alterum pedem tollere. Acerbo, sed lascivo nimis dicto, & parum gravitate dignitatéque Ciceronis digno. Putabatur enim Clodius tres sorores stuprasse. Tollere autem pedem, figuram quandam Veneris designat. De qua Martialis intellexit, cùm dixit: *Sustulit ille pedes, sustulit hic tunicam.* Sed & lib. II. *Tolluntúrque pedes, ô medicina gravis.* Jocus igitur Ciceronis jam planus est. Victorius.

lum pedem dat. Noli, inquam, de uno pede ſororis queri: licet etiam alterum tollas. Non Conſulare, inquies, dictum. Fateor: ſed ego illam[23] odi malè Conſularem. Ea eſt enim ſeditioſa: ea cum viro bellum gerit, neque ſolùm cum Metello, ſed etiam cum Fabio,[24] quòd eos in hoc eſſe moleſtè fert. Quod de agraria[25] lege quæris, ſanè jam videtur refrixiſſe. Quod me quodam modo molli brachio de Pompeii familiaritate objurgas: nolim ita exiſtimes, me mei præſidii causâ cum illo conjunctum eſſe: ſed ita res erat inſtituta, ut, ſi inter nos eſſet aliqua fortè diſſenſio, maximas in Republica diſcordias verſari eſſet neceſſe. Quod à me ita præcautum, atque ita proviſum eſt, non ut ego de optima illa mea ratione decederem; ſed ut ille eſſet melior, & aliquid de populari levitate deponeret: quem de meis rebus, in quas eum multi incitarant, multo ſcito glorioſiùs, quàm de ſuis prædicare. Sibi enim bene geſtæ, mihi conſervatæ Reipublicæ dat teſtimonium: hoc facere illum, mihi quàm proſit neſcio; Reipublicæ certè prodeſt. Quid, ſi etiam Cæſarem, cujus nunc venti valde ſunt ſecundi, reddo meliorem? num tantum obſum Reipublicæ? Quin etiam, ſi mihi nemo invideret; ſi omnes, ut erat æquum, faverent; tamen non minùs eſſet probanda medicina, quæ ſanaret vitioſas partes Reipublicæ, quàm quæ exſecaret. Nunc verò, cùm equita-

23. *Odi malè Conſularem*] Nota atque uſitata locutio eſt, *Malè odiſſe*. Infrà lib. XIV. *Atqui, ſi quiſquam eſt facilis, hic eſt: tamen non dubito, quin me malè oderit.* Plaut. Menæch. *Ut ego uxorem, mea voluptas, ubi te aſpicio, odi malè.* Quare adverbium illud qualitatis, vel potiùs quantitatis (nam *Malè* ut Soſipater ait, valdè ſignificat) aptiùs meo judicio, *Odi* verbo jungatur, quàm nomini *Conſularem*. Ut ſenſus ſit: ſed ego malè odi, illam conſularem. Illud etiam ſcio, fuiſſe qui *Conſularem* delerint, non tam veterum librorum auctoritate, quàm vel locutionis inſolentiâ, vel quod Conſularem non putarint, de Conſulum uxoribus dici. Quod tamen falſum eſſe deprehenditur ex Juriſconſultis. MALASPINA.

24. *Quòd eos in hoc*] Quòd illi toti erant in impediendo ne Clodius adoptaretur à plebeio, utque ejus conſilia pernicioſa reprimerentur. GRÆVIUS.

25. *Lege*] A L. Flavio Tribuno plebis promulgata. Ep. 15. lib. I. CONRAD. Legendum autem: *Quod de agraria lege quæris, ſane quàm videtur refrixiſſ.* VIII. ad Fam. 10, & IV. 5. J. F. GRONOVIUS.

26. *Equitatus*] Equites Romani, quos ego conſul cum ſenatu conjunxeram. MANUT.

27. *In clivo Capitolino*] In æde Concordiæ, ad radices aſſurgentis Capitolii. Qua in æde conſul Cicero ſenatum conſuluit, quid de conjuratis deprehenſis ſtatuendum videretur. IDEM.

28. *Te ſignifero, ac principe*] Cùm te quoque, equeſtris ordinis principem, ad eam conſultationem adhibui. Sed perſiſtit Cicero in tranſlatione rei militaris: & quia dixerat, *Equitatus*, intulit, *Te ſignifero*: cùm nihil aliud ſignificet, quàm, in ſenatu

[26] equitatus ille, quem ego [27] in clivo Capitolino, [28] te signifero, ac principe, collocaram, Senatum deseruerit; nostri autem [29] principes digito se cælum putent attingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant; alia autem negligant: nónne tibi satis prodesse videor, si perficio, ut nolint obesse, qui possunt? Nam Catonem nostrum non tu amas plus, quàm ego. Sed tamen ille, optimo animo utens, & summâ fide, nocet interdum Reipublicæ. Dicit enim tanquam in Platonis [30] πολιτείᾳ, non tanquam in Romuli fæce, sententiam. Quid [31] verius, quàm in judicium venire, qui ob rem judicandam pecuniam acceperit? Censuit hoc Cato: assensit Senatus. Equites [32] curiæ bellum, non mihi: nam ego dissensi. Quid impudentius Publicanis [33] renuntiantibus? fuit tamen retinendi [34] ordinis causâ, facienda jactura. Restitit, & pervicit Cato. Itaque nunc, [35] Consule in carcere incluso, sæpe item seditione commotâ, aspiravit nemo eorum, quorum ego concursu, itémque Consules, qui post me fuerunt, Rempublicam defendere solebant. Quid ergo? istos, inquies, [36] mercede conductos habebimus? Quid faciemus, si aliter non possumus? an libertinis, atque etiam servis serviamus? Sed, ut tu ais, [37] ἄλις σπουδῆς. Favonius [38] meam tribum tulit honestiùs, quàm suam; [39] Luc-

senatu Atticum, qui principem locum ordinis equestris obtineret, cum cæteris equitibus affuisse. Idem.

29. *Principes*] Principes cives Lucullus, & Hortensius, piscinarum studiosi. Ep. 16, 17, 18. lib. I. Idem.

30. Πολιτείᾳ] Republicâ.

31. *Verius*] Æquius. *In judicium venire*, accusari apud judices. Idem.

32. *Curiæ bellum*] Indixerunt, subaudi. Et Curiam accipe pro senatu; ut sit continens pro contento. Idem.

33. *Renuntiantibus*] Petentibus, ut locatio Asianorum vectigalium inducerent. Lib. I. epist. 15. Idem.

34. *Ordinis*] Equestris. Publicani enim equites Romani. Idem.

35. *Consule in carcere incluso*] L. Flavius tribunus plebis Metellum consulem in carcere inclusit, quia legem agrariam perferri non sineret. Aliis tamen tribunis opem ferentibus, & Pompeio suffragante, aliquot pòst horis exivit. Dio l. XXXVII. 1. Idem.

36. *Mercede conductos*] Equitúmne Romanorum studium in rem. erit largitionibus & pecuniâ conciliandum? Græv.

37. Ἄλις σπουδῆς] Sat studii: subaudi, positum est à nobis in tuendâ ordinum concordiâ. Manutius.

38. *Meam tribum tulit honestiùs*] Tribum ferre dicitur, cui tribus vel magistratum petenti, vel commodum aliquod suffragiis defert. Tribus autem Ciceronis videtur Cornelia fuisse: cùm, in ea censeri solitos esse Arpinates, Livius l. XXXVIII. significet. Idem.

39. *Luceii perdidit*] Nec mirum, perdidisse Luceii tribum, quippe cùm Luceius Cæsaris, Favonius Catonis familiarissimus esset, Cato autem & Cæsar cùm naturâ, tum vitæ instituto dissidentes. Idem.

ceii perdidit. Accusavit Nasicam inhonestè; [40] ac modestè tamen dixit; ita ut Rhodi videretur [41] molis potiùs, quàm Moloni, operam dedisse. Mihi, quòd [42] defendissem, leviter succensuit. Nunc tamen petit iterum [43] Reipublicæ causâ. Lucceius quid agat, scribam ad te, cùm Cæsarem videro, qui aderit biduo. Quòd Sicyonii [44] te lædunt: Catoni, & ejus æmulatori attribuas Servilio. Quid? ea plaga nónne ad multos bonos viros pertinet? Sed, si ita placuit, laudemus: [45] deinde in dissensionibus soli relinquamur. [46] Amalthea mea te expectat, & indiget tui. Tusculanum & Pompeianum valdè me delectant; nisi quod me, illum ipsum [47] vindicem æris alieni, [48] ære non Corinthio, sed [49] hoc circumforaneo obruerunt. [50] In Gallia speramus esse otium. [51] Prognostica mea cum oratiunculis propediem expecta. Et tamen quid cogites de adventu tuo, scribe ad nos: nam mihi Pomponia nuntiari jussit, te mense Quintili

40. *Ac modestè*] Pugnare hæc propè videntur: tamen eo ipso lepida sunt & inexpectata. Modestè enim dicere laudem nullam habet in oratore: minùs in accusatore, quem vehementem, acrem, exertum & pugnacem esse oportet. Nasus igitur modestiæ verbo subest, cum quadam tamen laudis simulatione, quòd modestia in hominum vita laudi ducatur. Significat igitur eum frigidum & malum accusatorem fuisse. TURNEBUS. Advers. XXX. cap. 13.

41. *Molis potiùs quàm Moloni*] Προσωνομασία. Potiùs molis pristinariis, quam Moloni rhetori. POPMA.

42. *Defendissem*] Nasicam. CORRADUS.

43. *Reipublicæ causâ*] Exagitatio Favonii cum excusatione, quòd iterum peteret: iterum enim petere non suâ, sed Reipublicæ causâ: alioqui post priorem repulsam non fuisse petiturum. MANUTIUS.

44. *Te lædunt*] Non solventes. Vid. ep. 19. & ep. 13. lib. I. CORRADUS.

45. *Deinde in dissensionibus*] Ita in omnibus legitur. Itaque εἰρονικῶς, quodámque cum stomacho scribi, dicendum est. MALASPINA. Conjiciebat Manut. *discessionibus*; ídque Bosius recepit. Vulgatam præfero. Hoc enim Cicero dicit. Age probemus, quia sic placuit Senatui, sententiam Catonis; deinde verò in dissensionibus civilibus, cùm Senatûs auctoritas erit tuenda contra popularium impetum, deseramur nos, qui optimatium causam agimus, ab equestri ordine & hominibus illis locupletibus, quibus grave damnum illatum est Senatus-consulto illo. GRÆV.

46. *Amalthea*] Vide ep. 17. lib. I.

47. *Vindicem æris alieni*] Conjuratio Catilinæ propter æs alienum facta, odio maximè creditorum. Rectè igitur vindex, & servator creditorum Cicero, quia conjuratos occiderat. MANUTIUS.

48. *Ære non Corinthio*] Sensus est: Tusculani, & Pompeiani ædificatio magnum mihi æs alienum attulerunt. Sed jocatur in ambiguitate verbi: cùm æs Corinthium maximè laudaretur. IDEM.

49. *Hoc circumforaneo*] Quod ab argentariis fœnerantibus sumitur, qui tabernas habebant in porticibus circa forum. IDEM.

50. *In Gallia*] Vide lib. I. ep. 16. & 18.

51. *Prognostica*] Cicero interpretatus est versibus Arati Prognostica, ut constat è libris De Divinatione; quare non habeo dubium, quin ea intelligat. Meminit horum etiam libro earundem epistolarum XV, his verbis: *Equidem etiam pluvias metuo, si prognostica nostra vera sunt. Ranæ enim ῥητορεύουσι.* MURETUS.